FR. NICOLAI HONORATI

ORD. MIN. OBSERV.

IN REGALI COLLEGIO MILITARI
PHILOSOPHIAE PROFESSORIS

INSTITUTIONES
METAPHYSICAE

AD USUM ADOLESCENTIUM
ORDINIS MINORUM.

NEAPOLI CIϽIϽCCLXXXII.
APUD JOSEPHUM CAMPO.

SUPERIORUM FACULTATE.

FRANCISCO PIGNATELLI
EX STRONGYLIENSIVM PRINCIPIBVS
FERDINANDI IV. SICILIARVM REGIS
INTIMAE ADMISSIONIS CVBICVLARIO
TESSERARIO
EJVSQ. IN EXERCITV MARESCALLO
ABLECTORVM MILITVM COHORTIS
TRIBVNO
AC MODERATORI VIGILANTISSIMO
CASTRI S. ERAMI GVBERNATORI
GENERE PERILLVSTRI ANIMOQ.
NOBILIORI
VIRO INCOMPARABILI
REI MILITARIS PERITISSIMO
IN ABSOLVENDIS MAGNI MOMENTI
NEGOTIIS
DEXTERITATE PRVDENTIA CONSILIO
NVLLI SECVNDO
MORVM GRAVITATE PRAEDITO
AEQVI JVSTIQ. SERVANTISSIMO
ET QVOD MAXIMVM EST
ACCESSVS FACILLIMI

NICOLAUS HONORATI

FELICITATEM

REM *quidem parvam* EXC. TUAE *offero, dum Institutiones has meas Meta-*

 phy-

physicas clarissimo Nomini tuo inscribo, sed plena tamen voluntate, animo quoque accepto, ac libentissimo. Majora siquidem Tibi debentur officia, sive nobilissimam, & ubique celebratissimam Familiam spectemus, sive (quod majus est) morum tuorum probitatem, artis bellicae peritiam, sive tandem in maximis absolvendis negotiis dexteritatem pene singularem. Sat bene consuluisti, VIR EXCELLENTISSIME, dum miserum reputans aliorum incumbere famae, Majorum tuorum gloriae aemulator quidem existens, tuo tamen peculiari studio, integritate, aliarumque virtutum nitore FERDINANDO IV. Regi nostro felici pio Te acceptissimum reddidisti. Habes ergo, MECOENAS AMPLISSIME, unde miremur TE, non tua solum, simulque habes, quod possimus incidere titulis, atque linire cedro.

AEter-

AEternum insuper magnitudinis animi tui monumentum erunt tam Collegium Militare, quam Regalis Academia Regis nostri munificentia quidem, tua tamen opera, atque vigilantia summa a fundamentis erecta, ac plane ampliata. Per omne aevum itaque EXC. TUAE animo devincti erunt ii Juvenes Milites, quibus tot bona procurasti, & quorum ideo Moderator, immo Parens optimus communi suffragio nuncuparis.

Plurimum tandem Tibi me debere fateor, dum me licet imparem ad philosophicas reserandas Militaribus Juvenibus notitias instituisti. In mei propterea grati animi significationem, meaeque adversum Te observantiae testimonium Opusculum hoc, qualecumque sit, Tibi devoveo, atque sacro.

Majora, quae offeram, AMPLITUDINI TUAE, non habeo, neque Tu magna

gna eges Iliade, & *parva munera tam offerentis*, *quam ſuſcipientis ampliantur animo*. *Opus ergo Tibi undequaque debitum*, & *Nomini tuo inſcriptum tuere, ac fove*, *ſimulque pro ſumma*, *qua polles humanitate*, *benignus ſuſcipe*.

Rem tandem expediam Ovidianis verbis:

Dii Tibi dent annos, a te nam
caetera ſumes;
Sint modo virtuti tempora longa
tuae.

Vale.

AD

AD LECTOREM.

ANte aliquot annos Elementa Logicae conſcripſimus, eam nimirum Philoſophiae partem, quae hominis intellectum colit, ejusque ratiocinium perficit. In lucem nunc prodeunt Inſtitutiones Metaphyſicae, quae Logicam ipſam & praeſtantia excellunt, & argumenti utilitate. Philoſophiae tantum elementa, humanarumque cognitionum principia Logica tradit, Metaphyſica vero Philoſophiam ipſam rerum incorporearum, h. e. Entia, Deum, humanas animas ſuis cum affectionibus complectitur.

Ontologia itaque, Theologia Naturalis, & Pſychologia tres ſunt Metaphyſicae noſtrae partes. Ontologicas cognitiones ea methodo diſpoſuimus, ut ex Entium generica notione, ad eorundem principia, & proprietates deſcendamus. Omiſſis quaeſtiunculis, quae tanto ingeniorum conatu, atque vocum ſtrepitu a Majoribus noſtris agitari ſolebant, Ontologiam puram, realem, atque utilem

lem exponimus. Subtilitates enim ontologicae aranearum telis comparari possunt, quae omnium subtilissimae quidem sunt, nullius tamen utilitatis, ac emolumenti.

In expediendis vero Theologia Naturali, & Psychologia, simulque in firmandis adsertionibus tam Deum, quam humanas animas respicientibus, praeter rationum efficaciam, qua eas demonstramus, ut magis magisque firmentur, nostrorum temporum praesertim Incredulorum argumenta dissolvimus, atque enodamus. Theologiae Naturali Appendicem innectimus, in qua de Religione tum naturali, cum revelata, nec non de Christi Religione differimus abundantius. Religionis studium valde hominibus necessarium hac nostra praesertim aetate, censendum est, in qua impiorum librorum copia adversus Religionem conscriptorum ubique serpit. Quod erat hic de Operis argumento, atque methodo, ut moris est, exponendum. His ergo utere, amice Lector, & aevum vive.

Dabam Neapoli die 14. mens. Julii An. 1782.

ME-

METAPHYSICAE

PROLEGOMENA.

I. Metaphysicae praestantia atque bonum. II. Ejus vetusti cultores. III. Et recentes. IV. Metaphysica definitur, ejus objectum & partes explicantur.

I.

METAPHYSICA de qua sumus in praesentia loquuturi, ea Philosophiae pars est, quae cum humanum Intellectum supra res sensibiles extollat erigatque, eo ipsum cultiorem nobilioremque reddit, quo de rebus sui generis eloquitur. Hac insuper media, caeteris posthabitis Facultatibus, vera hominum sapientia comparatur: quae enim sensibus subjecta omnibusque patent, minoris indubiè sunt quam occultissima ac difficillima, quae jure suo Metaphysica scrutatur; illa utpote temporis injuriae obnoxia innu-

meras subeunt vicissitudines, alterantur modo, modo solvuntur, semper immutantur; ista secus simplicitate praedita eadem aeternum perseverant. Haec itaque Facultas illa est, quae mortalium caducarumque rerum perquisitione seposita, ad aeterna ac immutabilia humanam Mentem deducit. Haec, Entis, Dei, rationalis Animae attributa & proprietates mortalibus in hoc Mundi theatro degentibus mirè exponit. Haec tandem, ut compressè loquar, supremi Entis Dei, humanique Animi cognitione, maximum illud nobis retegit discrimen, quod inter Creatorem & creaturas, infinitum & finitum, independens & dependens adest: illius admiramur potestatem ac imperium, nostramque licet inviti fateri cogimur imbecillitatem, finitatem, subjectionem. Rectè hinc Majores nostri e Peripato signatim *Disciplinam sublimem*, *Facultatem excelsam*, *Scientiam generalem*, imò *Sapientiam* ipsam dixerunt.

II.

Excelsae autem Facultatis hujusce cultores vetustos si quaeras, praesto sunt. Plura de his cognitionibus in Platonicorum, Tullii praesertim, Porphyrii, Jamblici libris, sicuti & in Eleatensium fragminibus conspersa reperies; Metaphysicae tamen vocabulum priscis Philosophis secretum omnino atque latens, Aristotelis sectatoribus vel Interpretibus primò inventum adhibitumque communiter adjudicatur. Hi enim cum tineis blattisque corrosa Magistri sui vitiata scripta ac pe-

nè

nè corrupta in varia diſtribuiſſent Volumina, quorum alia *Logicam*, *Ethicam* alia, alia *Phyſicam* exhibebant: quaedam alia quarti generis ſupereſſe obſervarunt, quae poſt Phyſicam conjecere, *Metaphyſicae*, h. e. Phyſicis appoſita, nomine decorata. Ab ordine hinc & loco quem Ariſtotelica in Philoſophia habuit Facultas haec, Metaphyſica dicta fuit, ut Alexandro Aphrodiſiaeo atque Philopono affirmatum (*a*). Caeterum quidquid ſit de XIV. quos Ariſtoteles ſcripſit Metaphyſicae libris, quidque de eorum perpeſſis injuriis, eſt adhuc Ariſtotelis ſtilus ac ordo diſcurſus, unde genuinos ejus foetus evinci optimè poſſunt atque ſuaderi. Clamat ſemper res ad Dominum, quibuscunque circumſtantiis non obſtantibus in contrarium.

III.

Quod Scientiae huic deerat defectu temporum, labore aſſiduo compenſarunt recentes Philoſophi. Saeculi itaque 17. initio, cui Philoſophiae praeſertim tribuenda reſtauratio, circa annum 1620. omnium primus Franciſcus Baco Anglus multum haec ſtudia auxit: quodque eadem tempeſtate praeſtitit etiam Renatus Carteſius Gallus in ſex meditationibus, quas de Dei, Mentiſque humanae natura, nec non Idearum ortu haud ingloriè ſcripſit. Carteſii gloriam ſunt in Gallia aemulati

(a) Stanley *Part.* V. *Ariſtot. de Methaph. cap.* 1.

ti Joannes Claubergius, Sylvanus Regis, Antonius le Grand, nec non Pr. Nicolaus Malebrancius. Angli Philosophi hisce in studiis principem sedem habent, tum quia Veterum placita, Peripateticorum signatim abjicientes opinandi arbitrio usi sunt; tum quia acerrima diutissimè cum Atheis habuere certamina, atque ideo longè lateque Scientiam hanc propagarunt. Indubium tamen ex altera parte est, quod majoris essent precii ea de quibus loquimur, si eorum libertatem suis limitibus circumscripsissent: Qui arbitrium rationemque nimis provehit, nedum utrumque, verum & Religionem evertit. Hi sunt praeter laudatum Baconem, Joannes Lockius, Cudvvorthus, Samuel Clarkius, Parkerus, Tillotsonus, aliique plures nimis rationi tribuentes, & de quibus suo loco. Ex Germanis laudantur inter alios Gotofridus Gulielmus Leibnitius, & Cristianus Wolfius. Tandem permulti numerantur ex iis, qui ultimis temporibus scientiam hanc sive quoad omnes ejus partes, sive quoad aliquas tantum illustrarunt; ejusmodi sunt inter alios Derham, Niewentitius, Jaquelotius, Ray, Fenelonus, Genuensis, Condillac, Bonnet, Monteiro. Horum omnium scriptis studia haec nostra metaphysica adnectimus, in quibus non omnia, ut spero, communia erunt, quamvis immatura lucubrata Minerva.

IV

Est Metaphysica quoad nomen spectata *scien-*

tia

tia transnaturalis, utpote sensibilibus amotis ad incorporea transgreditur. Quoad naturam verò scientia naturalis dicitur Entis in genere atque Spirituum.

Naturali scilicet lumine prout Philosophum decet Metaphysica Entia generatim eorumque affectiones, nec non spirituales substantias suis cum essentialibus scrutatur. Ens igitur reale suis cum proprietatibus objectum Metaphysicae extat. Solis Ideis abstractis itaque componitur metaphysicum Regnum. Sunt haec studia fenestris clausis, ac inter quietae noctis silentium, uti praestabat Malebrancius, lucubranda, ne sensibilium rerum imaginibus sensus nostri permoti, Mentem turbent rebus incorporeis occupatam.

Ontologia & *Pneumatologia* principes sunt Metaphysicae partes. Illa Entis naturam atque proprietates amplectitur. Ista spiritualis substantiae essentiam, existentiam, operationes continet. Et quoniam spiritualis substantia alia est increata, ut *Deus*, creata alia, ut *Mens humana*, Pneumatologia ideo binas includit partes: prima *Theologia Naturalis* dicta, de Deo, secunda *Psychologia* nuncupata, de Mente humana differit. Tres itaque Metaphysicae partes sunt a nobis expediendae, Ontologia nimirum. Theologia Naturalis, & Psychologia.

METAPHYSICES

PARS PRIMA,

Sivè

ONTOLOGIA.

QUod reliquae Scientiae & Facultates in ſpecie âc peculialiter ſpectant, hoc ipſum in genere ac communiter, a circumſtantiis nempe omnibus; accidentibuſque disjunctum *Ontologia* intuetur. Idem ergo Ontologia ac ſermo de Ente generatim ſumto, atque eorum quae ei per ſe inſunt. Habemus hinc Diſciplinae hujus quoad omnes ſcientias, neceſſitatem. Cum enim nonniſi ex generali Entis notitia peculiaris ejus cognitio educatur, ontologicam neſcire ſcientiam, idem eſt ac rivulos noſcere & fontem ignorare. Solum deſideratur hodie quod in ea explicanda inutilioribus ac moleſtis omiſſis quaeſtiunculis, in quibus Majores noſtri inaniter verſabantur, brevitati & veritati unicè conſulatur. Tempus breve eſt, cognitiones philoſophicae multae. Nos faſtidicis hiſce rebus, quoad fieri poterit, gratiam aliquam dare conabimur; ſimulque recta methodo incedentes de Ente generatim ejuſque diviſione primò agemus, ſecundo de ejus Principiis, ac tertio demum Proprietatibus.

CAPUT I.

DE ENTE GENERATIM EJUSQUE DIVISIONE.

I. *Entis definitio ejusque variae divisiones*. II. *Est ejus conceptus univocus respectu Dei & Creaturarum, substantiae & accidentis*.

I.

Omne id quod exiſtit vel exiſtere poteſt, *Ens* ſive *Res* nuncupatur: ita quidquid exiſtens, vel non repugnans ad exiſtendum intellectu concipimus, Ens audit.

Dividitur Ens generatim in *reale* & *rationis*. Primum independenter ab omni intellectus actu verè ac realiter eſt ſive exiſtit, ut *lapis*, *arbor*, *homo*. Secundum contrà ut exiſtat ab intellectus pendet actione; hujuſmodi eſt illa vana cogitatio, qua Angelos corporeos quandoque judicamus. Verum de Ente reali non rationis in præſentia agimus, quod tanquam Ontologiae ſpectamus objectum (num. IV. Prolegom.).

Ens reale dividitur in *increatum* & *creatum*. Illud principio & fine caret, ſibique eſt ſufficientiſſimum; ejuſmodi eſt ſolus Deus. Iſtud ſecus principium recognoſcit ſuum; uti ſe habent Creata omnia, quæ ab alio exiſtunt.

Ens creatum eſt vel *ſubſtantiale* vel *accidentale*. Subſtantiale quidem cum ità exiſtit vel exiſtere

ſtere poteſt, ut nullo egeat ſubjecto cui inhaereat; hujuſmodi ſunt Corpora omnia atque Spiritus. Accidentale autem ut exiſtat vel exſtare poſſit pendet neceſſariò a ſubjecto cui haereat, quodque illud ſuſtentet; ſic *albedo* reſpectu parietis, *prudentia* reſpectu hominis.

II.

Solent heic diſputare Scholaſtici: num Entis conceptus univocus ſit reſpectu Dei & Creaturarum, ſubſtantiae & accidentis? ſive utrum generica Entis notio aequè illis omnibus congruat, variis licet atque oppoſitis affectis proprietatibus? Scotiſtae pro affirmativa ſtant ſententia, propugnantes, Ens univocum eſſe reſpectu inferiorum. Contrarium Thomiſtae defendunt, quamvis ambo conveniant, Ens rationis *propriè* Ens dici non poſſe, & *analogicè* tantum non *univocè* cum reali convenire. Nos ità cum Scotiſtis ratiocinamur: Primaria Entis notio eſt *exiſtere* & *exiſtere poſſe*: id omne enim dicitur Ens quod vel exiſtit actu, vel contradictionem non involvit ad exiſtendum (num. 1.): atqui tam Deus quam Creaturae exiſtunt actu atque extare poſſunt, ſeu ad exiſtendum non repugnant: univocè ergo Entis conceptus utriſque congruit. Nec aliquid obſtat adſerere, Deum Ens infinitum, perfectiſſimum, independens cum Creaturis finitis, imperfectis, dependentibus univocè convenire. Haec namque *alietas* in ipſa Entis idea minimè fundatur, benè vero in differentialibus ipſis, quibus Deus &

Crea-

Creaturae adprobè discriminantur. Praeterea si Entis conceptus sedulo consideretur, indivisus prorsus detegetur ac simplicissimus, quod sanè non eveniret si variis modis conceptus ipse Deo & Creaturis congrueret. Tandem si aliquod inter conceptum Dei & Creaturarum foret discrimen statuendum, hoc certè alicui fundamento quod utrique jungeretur, deberet inniti; ideoque haberetur semper communis ille conceptus Entis, cui fundamentum sive ratio haereret necessario, ac per consequens legitimum, Entis conceptus univocus est respectu Dei & Creaturarum.

Est pariter ejusmodi respectu substantiae & accidentis. Enimvero licet substantia independenter ab alia substantia existat, ut homo a lapide; secus vero accidens, quod ut existat a suo subjecto cui haereat, dependeat necessario, ut doctrina respectu hominis: hujusmodi tamen praecisis circumstantiis, habetur semper Entis creati communis, unicus, simplex conceptus, qui non magis substantiae quam accidenti convenit.

CA-

CAPUT II.

De Principiis Entis.

I. *Principium definitur & dividitur.* II. *Quid & quotuplex sit causa.* III. *De causa efficiente ejusque variis speciebus.* IV. *Repugnat causarum efficientium in infinitum processus absque prima Causa, cui reliquae omnes subordinentur.*

I.

P*Rincipium* genericè sumtum dicitur id quod est primum, & ex quo est aliud. Estque vel *rei* vel *cognitionis*. Principium rei definitur id a quo res ipsa est, fit, vel producitur. Principium cognitionis autem illud per quod aliud dignoscitur.

Principium rei dividitur in *intrinsecum* & *extrinsecum*. Illud ea omnia amplectitur ex quibus res componuntur. Istud dum loquitur de rebus creatis, dicitur *causa*; non autem sic dum de rebus divinis agitur. Itaque de Principiis rerum, sive de causis prout Ontologicum spectat, heic tantum agemus.

II.

Est causa in genere Principium illud, unde aliquid

quid est, fit, vel producitur, & in quo ratio ipsius productionis continetur. Hoc secundum quod producitur, sive suum esse a causa recipit, *effectus* nominatur.

Omnis causa itaque est quoque Principium, cum hoc etiam rationem contineat cur habeatur effectus: non autem contrà omne Principium est causa, secus ac Ecclesiae Graecae Patres opinabantur, ea promiscuè in divinis accipientes. Non enim est de ratione Principii ut natura a suo distinguatur Principiato, sicuti effectus a sua causa distinguitur: ità Pater in creatis est vera filii causa, in divinis autem non est nisi Principium, cum Pater a Filio essentialiter distinguatur in creatis, in divinis verò una eademque sit essentia in tribus divinis Personis, quae omnium divinarum perfectionum fons est atque origo, & nonnisi quoad Personas differant. Similiter omnis effectus distinguitur a sua causa a qua recipit esse; secus namque causa & effectus unum idemque forent. Tertio omnis effectus natura posterior est sua causa, ab eaque in sui productione essentialiter pendet: ab illà enim suum esse recipit, ab ipsa de non esse ad esse transfertur, in ea ratio continetur cur effectus ipse habeatur: ergo ab illa quoad productionem pendet essentialiter, estque sua natura posterior ipsa, cum non esset effectus nulla existente causa. Quarto tandem omnis causa effectum se ipsa perfectiorem efficere nequit, maximè tamen imperfectiorem: nemo siquidem dare potest quod non habet.

Qua-

Quatuor genera causarum Aristoteles statuit, *efficientem* nimirum, *finalem*, *materialem*, & *formalem*; quibus quintam Plato adjunxit, quam *exemplarem* dixit, & meritò quidem: nihil enim extrà molitur homo, nisi exemplar prius in mente habeat, cui opus quod agere intendit, adamussim respondeat. De his omnibus sigillatim & compressè agemus.

III.

Causa efficiens est Principium illud, a quo res quaevis suam recipit existentiam: ità Deus respectu Mundi, Anima rationalis quoad humanas operationes, Homines quoad opera sua, causae efficientes dicuntur.

In omni igitur causa efficiente tria concurrunt, *causa* nempe, *effectus* & *actio*. Subjectum quod agit seu producit, est causa, res producta sive facta, effectus; actio tandem, ipsummet est agentis causae exercitium.

Sed quoniam pluribus variisque modis causa efficiens operatur, ità varias admittit divisiones. Et primò dividitur in *primam*, & *secundam*. Illa causas omnes in operando praecedit, nullamque aliam se priorem admittit, uti est solus Deus. Ista secus pendet in operando a Causa prima, cui etiam subordinatur; hujusmodi sunt Creaturae omnes respectu primae Causae, nempe Dei. Causae secundae efficientes vel sunt *adaequatae* vel *inadaequatae*, vel *per se* vel *per accidens*. Causae adaequatae illae dicuntur, quae ità in-

in effectum influunt, ut totam contineant rationem cur sit effectus. Secus autem inadaequatae totam rationem minimè continent cur effectus habeatur: sic aqua causa est adaequata madefactionis, Pater causa inadaequata Filii. Causa igitur adaequata ità in effectum influit, ut ea posita omnique alia in eodem genere & ordine exclusa, effectus ipse peroptimè habeatur; contrà vero de causa inadaequata dicendum. Fieri itaque minimè potest ut idem numero effectus a pluribus causis adaequatis ejusdem generis & ordinis producatur. Cum enim causa adaequata totam rationem contineat cur sit effectus, frustrà plures causae adaequatae ejusdem generis & ordinis ad eumdem effectum producendum concurrerent. Causae per se nuncupantur, quae natura sua ad effectum aliquem causandum determinantur; ut ignis ad comburendum, aqua ad madefaciendum. Causae secus per accidens nonnisi contingenter suum producunt effectum; ità homo per accidens scribit, docet, aedificat.

Sunt praeterea causae efficientes vel *principales*, vel *instrumentales*, vel *occasionales*. Primae ità causant effectum, ut principaliter ejus rationem contineant cur ipse habeatur. Secundae ideo operantur, quatenus a causis principalibus determinantur ad effectum producendum; sic Pictor causa est principalis picturae, pennicilla vero causa instrumentalis. Tertiae demum motivum causae principali praebent tantum ut operetur; ità Libri studioso Viro exhibiti, causa occasionalis sunt ut studeat.

Tan-

Tandem causae efficientes sunt *physicae*, cum effectum actione reali ac physica producunt; *metaphysicae* dum respectu cognitionum nostrarum aliquid causare concipiuntur; *morales* ultimò cum exemplo tantum, praecepto atque consilio operantur. Sic Pater in creatis causa physica Filii extat: praemissae sunt causa metaphysica conclusionis, essentia proprietatum: latrones demum, scandalosi, homicidae, vel etiam hortatores ad malum, causa moralis.

IV.

Ex hucusque dictis de caussis secundis efficientibus deducendum, repugnare prorsus causarum efficientium in infinitum processum absque prima Causa, cui reliquae omnes subordinentur. Negant id Epicurei & novissimè Spinosa cum suis, dum illi innatam atomis vim ac gravitatem impertiuntur, sed immeritò prorsus. Etenim omne Agens sive quaelibet causa efficiens ità, experientia teste, essentialiter ab alia causa dependet, ut nulla sit in Mundo efficiens causa cui essentiale haud sit *produci* & *pendere* ab alia causa: ità Filius causatur & pendet a Patre, Pater ab Avo, Avus ab Atavo &c.: pendentia igitur causarum inter se est omni causae essentialis. Atqui quidquid praedicatur de singulis in *materia necessaria* praedicari etiam debet de omnibus, ut Logici docent: repugnat ergo causarum efficientium processus in infinitum absque prima Causa, cui reliquae omnes subordinentur. Paritate utamur: sicuti

ſicuti quia ſingulis Spiritibus *ſimplicitas* eſſentialiter convenit, infinitus etiam Spirituum numerus ſimplicitate gaudebit; ſicuti etiam quia omne Corpus eſſentialiter extenſum eſt, ità infinita Corpora collectivè ſumta extenſa erunt. Meritò hinc Ariſtoteles inter alios pluribus in locis docuit, nil unquam moveri poſſe quin ab alio moveatur; unde effatum illud exortum: *Quidquid movetur ab alio movetur*. Hoc itaque tantum ſenſu concipi, explicari, probarique poteſt infinita cauſarum ſeries, quod nimirum una cauſa dependeat & producatur ab altera. Ità ſi Mundus hic viſibilis ab aeterno conditus cum Platone, Ariſtotele, aliiſque dicatur, infiniti jam extitiſſent homines, & qui horum quaereret originem, infinitum penitus hominum percurreret numerum, quorum quilibet ab alio homine ortum habuiſſet ſuum, hocque in ſenſu proceſſum in infinitum concedimus. Quamvis igitur infinitus cauſarum numerus permittatur, ad aliquod ſemper deveniendum Principium, quod extrà infinitum hunc numerum ſit, quodque ſeriem hanc virtute ſua produxerit.

CA-

CAPUT III.

QUAE SUPERSUNT CAUSAE EXPLICANTUR.

I. *Quid sit causa finalis & quotuplex finis.*
II. *De causis materiali & formali.*
III. *Causa exemplaris definitur.*

I.

CAusa finalis est id, propter quod causa efficiens ad suum effectum producendum determinatur: ita Adolescentium instructio, propter quam haec scribo, causa finalis est meae scriptionis.

Omnis ergo causa efficiens absque fine nihil operatur; ideoque finis quia causam ipsam movet, atque ad agendum veluti determinat, veram rationem causae habet.

Est finis vel *intrinsecus* vel *extrinsecus*. Prior dicitur id in quod natura sua efficiens causa fertur. Posterior autem id propter quod Agens operatur: sic finis intrinsecus Artificis est opus suum perficere, extrinsecus vero lucrum operis. Finis extrinsecus est *primarius* & *secundarius*, *proximus*, *remotus* & *ultimus*. Primarius est finis propter quem solum, quocunque alio ablato, Agens operatur. Secundarius contra non adtenditur ab Agente, quamvis in actione reperiatur: ita quia ut manducet homo, laborat, sudat, are-

 scit,

scit, cibus finis ejus primarius est, otii fuga, Artis amor, secundarius. Finis proximus est, quem Agens immediate ac proxime in operando spectat; remotus, quem mediate; ultimus tandem, cui Agens omne quod operatur refert: sic Deus ultimus finis hominum est recte operantium.

Medium definitur id quo Agens finem suum consequitur: ita quia labore, homo scientiam rerum acquirit, *scientia* est finis, *labor* medium. Qui ergo finem vult, vult quoque medium, quo ablato finis non habetur.

II.

Causa materialis est id ex quo praeexistente aliquid efformatur: ita marmor causa materialis est statuae ex illo eductae.

Materia dicitur *ex qua*, cum ex ipsa aliquid intrinsecus constituitur; *in qua*, quando aliquid a se distinctum ita in se recipit, ut illa perficiat; *circa quam* tandem, cum circa ipsam quodlibet Agens operando versatur. Sic *ferrum* est materia ex qua fit clavis, in qua fit figura clavis, & circa quam Faber occupatur.

Causa formalis definitur quae subjecto applicata illud determinat; ejusmodi est figura Petri in marmore sculpta. Forma vel est *substantialis* vel *accidentalis*. Prior unum per se constituit cum subjecto per accidens: ita Anima rationalis forma substantialis est Corporis humani, cum quo *Hominem* constituit; quadratum vero forma

forma accidentalis Laterum, cum nonnisi per accidens *Latera* constituantur quadrata.

Materia ergo habet veram rationem causae respectu formae ex illa eductae: ex ipsa namque forma educitur, suumque recipit esse. Forma pariter veram rationem causae habet respectu materiae in qua recipitur: materia siquidem mediante forma ad aliquod subjectum determinatur, hocque in sensu illius respectu, formam causae rationem continere adseritur.

III.

Causa exemplaris definitur id quod respicit Artifex tanquam exemplar, ad cujus similitudinem opus suum perficere intendit.

Exemplar itaque possidet etiam rationem causae: ab eo namque dirigitur Artifex in operando, & illo ablato, non posset certe tale opus perficere.

Exemplar dicitur *internum*, quando in Artificis cerebro rei faciendae simulacrum reperitur; externum vero, cum effigiem aliquam spectat Artifex in operando: ita idea Petri in Pictoris cerebro existens, exemplar internum nominatur; effigies autem realis Petri, exemplar externum. Quod de causis dixisse sufficiat.

CAPUT IV.

IN QUO PRIMUM STATUITUR COGNITIONIS CERTAE PRINCIPIUM.

I. *Definitio & characteres primi cognitionis certae Principii.* II. *Principium hoc non confundendum cum veritatis Criterio.* III. *Thesis exponitur.* IV. *Cartesii praesertim, aliorumque objectis fit satis.*

I.

PRimum Cognitionis certae Principium ea dicitur a Metaphysicis propositio sive adsertio, quae adeo clara evidensque est, ut nedum de ejus veritate Intellectus ambigere nequeat, verum sit omnium cognitionum humanarum absolute prima, & ex ipsa aliarum enunciationum veritas invictissime deducatur.

Debet nimirum, juxta saniores Metaphysicos, primum Cognitionis certae Principium sequentibus fulciri characteribus: 1. Sit universalissimum, h. e. communissimis constet terminis. 2. Evidentissimum ita ut ex sola terminorum queis componitur apprehensione, inficiari a nemine sanae mentis debeat. 3. Omnium absolute primum, ut per aliud probari nequeat. 4. Per ipsum vero cognoscibilia omnia aperiantur atque firmentur.

II.

II.

Probe heic obſervandum, ne Principium de quo loquimur cum veritatis Criterio, genuina nimirum Evidentia, confundatur, ceu nonnulli Recentiorum praeſtant inconſulto. Veri namque Criterion rerum veritatem non gignit, ſed tantum nota eſt ac teſſera veritatem ipſam tutiſſime aperiens, eamque a falſitate ſecernendo; primum autem Cognitionis certae Principium nec hujuſmodi teſſera eſt neque nota, bene vero princeps quaedam Veritas criterio eodem inſignita, ex qua reliquae omnes effluunt veritates.

III.

Principium autem hoc eſt illud effatum, contradictionis dictum: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*, cum hoc tantum omnes contineat primi Principii notas (*num.* I.). Sane eſt Principium hoc 1. univerſaliſſimum, h. e. communiſſimis terminis compoſitum, atque evidentiſſimum. Principii hujuſce termini ſunt *eſſe* & *non eſſe*: ſed nil poteſt his communius a Mente noſtra confingi. Huc ſingulae omneſque operationes noſtrae tendunt, ſive judicia ſpectes, ſive ratiocinia: omne quod videmus, audimus, odoramur, guſtamus, tangimus, eſſe vel non eſſe tale pronunciamus. Eſt omnium pariter evidentiſſima contradictio *idem ſimul eſſe & non eſſe*,

 & qui-

& quidem ita ut nonnisi mente captus hoc fieri posse in animum sibi inducat.

Est 2. omnium primum, eoque medio cognoscibilia omnia *redarguitive* monstrantur. Primum cognoscendi Principium duplici ratione potest intelligi, 1. in genere demonstrationis *ostensivae* seu *directae*, 2. in genere demonstrationis *redarguitivae* sive *indirectae*. Priori modo accipitur, cum per caussam monstratur effectus, per essentiam proprietas. Posteriori autem modo, cum eo medio ita Adversarius perstringitur, ut vel quod negat fateatur; vel absurdum aliquod admittat necesse est, hocque secundo in sensu illud contradictionis heic sumimus. Nil certe simplicius ideoque prius excogitari a Mente humana potest, quam *esse* & *non esse*: atqui principium contradictionis esse & non esse constat immediate, ut supra dictum est: est ergo omnium primum. Quod revera insuper cognoscibilia omnia per contradictionis Principium redarguitive monstrentur, patet evidentissime. Detur siquidem Principium aliquod, quod illud non supponat, ab eo non pendeat, & per ipsum minime probetur: igitur tali in casu idem praedicatum eidem subjecto convenire & non convenire, idem simul esse & non esse poterit, quo sane quid absurdius? clara hinc est pendentia & mutuata veritas aliorum Principiorum ab illo contradictionis; quae laberetur prorsus, illius contradictionis deficientibus veritate & evidentia.

IV.

IV.

Principium illud: *Ego cogito, ergo sum*, objicit 1. Cartesius, evidentissimum est atque certissimum: jure ergo prae caeteris primum censendum.

Respondeo. Nedum evidentissimum atque certissimum, sed universalissimum quoque; absolute primum, aliorumque velut origo debet esse primum Cognitionum humanarum Principium (*num.* 1.): hujusmodi autem conditiones in illo Cartesii desiderantur. Enimvero illud Cartesii Principium: *Ego cogito &c.* 1. aliud Principium implicite quidem sed necessario supponit, quod scilicet cogitare supponat esse: primo namque concipitur Ens existens quam cogitans, cum existentia abducta, impossibile sit Ens cogitare. 2. Nullam cum aliis veritatibus relationem importat: sic dum me cogitare atque existere concipio, non illico meam capio entitatem, & primus ille conceptus parum, vel nihil ferme ad meae essentiae, attributorumque meorum notitiam confert, ut neminem latet: multo minus ergo ad rerum extra me positarum veritatem noscendam profecerit aliquid. Nec 3. ejusdem Principii evidentia & certitudo absoluta dici potest, cum ab illo contradictionis pendeat, atque illius supponat semper veritatem (*num.* 111.). Ubinam sunt praeterea in ipso simpliciores termini & communiores, ideoque evidentiores? forsan illi *cogitationis*, *existentiae*, *illationis*? sed hi non omnibus pa-

que medio poterit solum Adversarius de illius veritate suaderi ac vinci. Non autem sic in hypothesi quod perfracte illud contradictionis negetur, ad cujus profecto fatendam veritatem duobus modis potest compelli Opponens, ratione nimirum & sensu. Vel quaesitus respondebit, vel non. Si non, dimittendus erit tanquam equus & mulus quibus non est intellectus. Si respondebit, vel concedendo laudati Principii veritatem respondebit, vel obstinate negando: si primum, jam habes intentum; si secundum, tandiu loquitur subtilis Doctor (*a*), erit verberibus aut igne cruciandus, quandiu non idem esse comburi & non comburi, verberibus affici & non affici fuerit fassus.

Cartesii asseclae expositam modo ac rejectam Magistri sui doctrinam abnuentes etiam, paucis exceptis, hoc statuunt primum cognitionis certae Principium: *Quidquid in Idea clara & distincta rei alicujus comprehenditur, id de ea re potest certissime affirmari.* Ast praeter quam quod hi cognitionis certae Principium cum Criterio confundunt veritatis (num. 11.), eorum adsertum *principii petitione* laborat manifeste. Indubie enim illud primum cognitionis certae Principium statuunt, quando tale foret probandum, ratione scilicet conditionum ad principium hoc requisitarum (num. 1.), queis profecto illud *Quidquid &c.* omnino destituitur, uti vel parum cuique ad-

(a) *In* 1. *dist.* 39.

adtendenti est manifestum. Nec reponere Cartesianis prodest quidquam, veras Ideas ex se discerni, ab iisque tantum non capi qui claris distinctisque Ideis advertere negligunt: non inquam hoc reponant, cum experientia teste in evidentissimis quoque non raro fallamur. Sed dicunt: *adhibeatur attentio*: necessum est ergo adserere, ipsos solum tanta pollere attentionis vi, ut omnibus aliis exceptis Idearum suarum assequantur claritatem. At perspiciant Cartesiani, velim, magna etiam Ingenia plura clare distincteque percepisse, fassos esse tamen ingenue, rerum veritatem finitae mentis vim effugere interdum.

Contradictionis Principium, objiciunt alii, probatur per illud: *Quodlibet est, vel non est*; ex hoc enim ratio desumitur impossibilitatis essendi simul & non. Insuper Principium hoc negativum est: sed negatio in priore aliqua fundatur affirmatione: non est ergo omnium primum.

Resp. Allucinantur Adversarii nostri dum ita loquuntur. Etenim *ad primum* evidentior est impossibilitas essendi simul & non, quam necessitas disjuncta ipsorum. Ideo namque quodlibet est vel non est, quia est impossibile idem simul esse & non: ita dum Petrus existit, non potest non existere. *Ad secundum*, distinguimus majorem: *negativum est* in ratione propositionis, sive quoad terminos, concedimus, in ratione principii, negamus. Duplici itaque aspectu considerari potest contradictionis Principium, ratione propositionis scilicet & principii. Priori modo acceptum de-

bet

tent: ubi demum ejus universalitas ut cognoscibilia omnia queant per ipsum monstrari? immerito itaque primum a Cartesio adseritur.

Instat 2. Caeteris omnibus Principiis posthabitis sive vigilem sive somniem in complurium per ipsum veritatum devenio cognitionem, propriae nimirum essentiae, existentiae, cogitationis, ac per consequens proprii Corporis, Animae, ipsius spiritualitatis, immortalitatis, aliarumque etiam rerum extra me positarum, immo ipsiusmet existentiae Dei, ratione nempe effectus & causae.

Resp. Absque palmae fiducia damus libenter Cartesio, per illud suum *Ego cogito* &c. posse inductive in veritatum expositarum deveniri cognitionem: ergo Principium hoc est omnium primum absolute, omnino negamus. Verum ut magis Cartesium perstringamus, reponat nobis quaeso: cur quia cogitat est seu existit? quia existentia abducta, impossibilis ejus redditur cogitatio; quia repugnat Cartesium cogitare quin existat; quia impossibile est tandem idem simul esse & non. Ad hoc inquam contradictionis Principium velut ad fontem rivulus confugit nolens Cartesius, atque ex hoc illius sumit claritatem, ut nemo non videt.

Instat 3. Principium illud prius a Mente cum circa semetipsam versetur, quam contradictionis, dignoscitur, quod nonnisi ad tempus, h.e. ex singularium enumeratione consequitur. Sic primo adstruitur: impossibile est Petrum dormire simul & vigilare, canem esse simul canem & leporem,

& po-

& postea concluditur: impossibile est ergo idem simul esse & non.

Resp. Licet permittamus Mentem nostram prius ad illud Cartesii quam contradictionis advertere, de hujus tamen primo non illius veritate & evidentia certissima atque victa est Mens ipsa autumanda; secus namque nec suaderetur inde de illius veritate, h. e. propriae existentiae, cogitationis &c. nisi prius certa foret quod impossibile est Ens aliquod cogitare simul & non, esse idem & non idem (num. III.). Nec per illam singularium inductionem in argumento allatam proprie ostenditur Principii contradictionis veritas, ideoque pendentia illius Cartesii ab eodem, sed occasionaliter tantum. Omnis enim universalis Propositio in materia necessaria prius vera est quam ejus singularis, quidquid in conversum Genuensis cum aliis adversus Scholasticos sentiat (*a*): ita primum verum est brutum esse animal irrationale, quam leporem irrationalitati subjici, cum haec in illa contineatur, & ab ipsa quasi fluat. Esse autem & non esse necessario conveniunt disjunctive cuilibet Enti universim sumto (ibid.); ac per consequens prius vera deprehenditur universalis illa *impossibile est* &c., quam quaelibet alia in argumento adducta. Postremo detur aliquis qui procaciter illius Cartesii deneget veritatem, ad quod aliud principium quaeso recurret Renatus, nisi ad illud contradictionis? hoc namque

(a) *Elem. Metaph. Part. Prior.* cap. I.

que medio poterit solum Adversarius de illius veritate suaderi ac vinci. Non autem sic in hypothesi quod perfracte illud contradictionis negetur, ad cujus profecto fatendam veritatem duobus modis potest compelli Opponens, ratione nimirum & sensu. Vel quaesitus respondebit, vel non. Si non, dimittendus erit tanquam equus & mulus quibus non est intellectus. Si respondebit, vel concedendo laudati Principii veritatem respondebit, vel obstinate negando: si primum, jam habes intentum; si secundum, tandiu loquitur subtilis Doctor (*a*), erit verberibus aut igne cruciandus, quandiu non idem esse comburi & non comburi, verberibus affici & non affici fuerit fassus.

Cartesii asseclae expositam modo ac rejectam Magistri sui doctrinam abnuentes etiam, paucis exceptis, hoc statuunt primum cognitionis certae Principium: *Quidquid in Idea clara & distincta rei alicujus comprehenditur, id de ea re potest certissime affirmari.* Ast praeter quam quod hi cognitionis certae Principium cum Criterio confundunt veritatis (num. 11.), eorum adsertum *principii petitione* laborat manifeste. Indubie enim illud primum cognitionis certae Principium statuunt, quando tale foret probandum, ratione scilicet conditionum ad principium hoc requisitarum (num. 1.), queis profecto illud *Quidquid &c.* omnino destituitur, uti vel parum cuique ad-

(a) *In* 1. *dist.* 39.

adtendenti est manifestum. Nec reponere Cartesianis prodest quidquam, veras Ideas ex se discerni, ab iisque tantum non capi qui claris distinctisque Ideis advertere negligunt: non inquam hoc reponant, cum experientia teste in evidentissimis quoque non raro fallamur. Sed dicunt: *adhibeatur attentio*: necessum est ergo adserere, ipsos solum tanta pollere attentionis vi, ut omnibus aliis exceptis Idearum suarum assequantur claritatem. At perspiciant Cartesiani, velim, magna etiam Ingenia plura clare distincteque percepisse, fassos esse tamen ingenue, rerum veritatem finitae mentis vim effugere interdum.

Contradictionis Principium, objiciunt alii, probatur per illud: *Quodlibet est, vel non est*; ex hoc enim ratio desumitur impossibilitatis essendi simul & non. Insuper Principium hoc negativum est: sed negatio in priore aliqua fundatur affirmatione: non est ergo omnium primum.

Resp. Allucinantur Adversarii nostri dum ita loquuntur. Etenim *ad primum* evidentior est impossibilitas essendi simul & non, quam necessitas disjuncta ipsorum. Ideo namque quodlibet est, vel non est, quia est impossibile idem simul esse & non: ita dum Petrus existit, non potest non existere. *Ad secundum*, distinguimus majorem: *negativum est* in ratione propositionis, sive quoad terminos, concedimus, in ratione principii, negamus. Duplici itaque aspectu considerari potest contradictionis Principium, ratione propositionis scilicet & principii. Priori modo acceptum debet

bet utique terminos praesupponere ex quibus componitur, cum sit ex genere negantium. Posteriori autem modo, Principium hoc cum sit regula quaedam adeo certa ac evidens, ut per ipsum cognoscibilia omnia possint redarguitive monstrari; ut satis superque probavimus, sequitur positivum esse; adeoque suo stat in robore sententia nostra exposita.

CAPUT V.

PRINCIPIUM RATIONIS SUFFICIENTIS EXPLICATUR.

I. *Rationis sufficientis Principii definitio, divisio, atque historia.* II. *Est Principium hoc absolute universale.*

I.

RAtionis sufficientis Principium est omne id, cur res quaelibet talis intelligitur & non alia, hoc potius quam alio modo. Sic ratio sufficiens extensionis Corporum, eorundem est particularum soliditas, qua media aliae partes extra alias existunt: ratio sufficiens negotiationis hominum est divitiarum amor, quo homines itinera tam longa, ac difficilia suscipiunt. Primum exemplum causas physicas, secundum morales spectat.

Ra-

Ratio sufficiens dicitur intrinseca cum ex intima rerum sumitur natura: ita quaternarius laterum numerus ratio sufficiens intrinseca est, cur quadratum quatuor angulos habeat. Est secus extrinseca, cum extra rei desumitur naturam; ita se habet Newtoniana attractio, quae descensus gravium ad centrum causa per nonnullos extat.

Principium hoc de quo loquimur rigorose acceptum non confundendum cum illo Scholasticorum: *Nihil est vel fit sine causa*. Causa namque est semper ratio sufficiens cur aliquid fit & existat: ratio sufficiens contra non semper est causa, cum causae munus minime in omnibus agat. Sunt tamen Principia haec adeo conjuncta, ut primo ablato ac denegato, secundum quoque corruat necesse est. Fiat enim hypothesis, illud rationis sufficientis falsitati subjici, quomodo probari ac stare poterit veritas illius Scholasticorum? Si aliquid namque stare vel fieri sine ratione sufficiente sive intrinseca sive extrinseca valet; stare quoque ac fieri poterit sine causa.

Principii hujus doctrina atque usus penes Veteres licet frequentissimus, ut apud Scholasticos (*a*), Ciceronem (*b*), Senecam (*c*), Cartesium (*d*), aliosque; plurimum tamen Leibnitio & Wol-

---

(a) *Apud Conimbric. tom. 2.*

(b) Lib. *de Finib. de Divinat. de Fato*.

(c) *Epist. 65.*

(d) Vid. *Wolf. in nota ad* §. 51. *Ontologiae*.

& Wolfio debet, rationem ſufficientem ubique ſonantibus. Eſt Principium hoc totius Leibnitiani ſyſtematis fundamentum: nihil cauſae liberae per Leibnitianos agunt abſque ratione ſufficiente, quae tota extrinſeca eſt, a rerum externarum nempe deſumpta bonitate: duo Entia perfecte ſimillia, h. e. indiſcernibilia repugnant: eſt Mundus hic viſibilis omnium poſſibilium optimus, aliaque hujuſmodi, & de quibus infra.

II.

Eſt principium hoc abſolute univerſale. Etenim ſi daretur vel dari poſſet aliquid abſque ratione ſufficiente, foret iſtud ſimul idem & non idem dicendum: idem ut ſupponitur, non idem, quia nihil haberet, ſeu nulla adeſſet ratio cur idem foret pronunciandum: repugnat autem idem ſimul eſſe & non: nihil ergo eſt, vel eſſe poteſt abſque ratione ſufficiente. Praeterea ponamus lignum aliquod fuiſſe combuſtum; nihil erat primo in ligno ignis, nihil extra: quomodo ergo combuſtum eſt? ex nihilo nihil haberi poteſt: admittendum ergo aliquid ignis, ſi rationaliter loqui velimus, vel in ligno, vel extra lignum, unde talis combuſtio exorta dici poſſit; habemus igitur hujus effectus rationem ſufficientem, quodque de aliis dicendum ſive effectibus ſive cauſis.

Nec Principii hujus univerſalitas laeditur ex quo innumera ſint in Mundo phoenomena, quorum veram cauſam ac rationem ſufficientem aſſignare

ſignare nequimus, ut fluxus & refluxus maris, electricitatis corporum, magnetis verſus polum directionis; haec namque phoenomena ſi non extrinſecam, intrinſecam tamen ſufficientem rationem habere nemini dubium; ſecus enim foret de eorundem exiſtentia dubitandum. Nefas autem cum ſit vel ea denegare, vel de iis ambigere quae nos latent: principium ergo rationis ſufficientis omnimoda univerſalitate gaudet. Quod liberas Entium actiones ſpectat, dicemus inferius.

CAPUT VI.

De Proprietatibus Entis.

I. *Quae proprietates Entis*. II. *Unitas, Veritas & Bonitas Entis reſerantur*.

I.

QUanquam Entis realis conceptus, ut ſuperius diximus, ſimplex penitus ſit, omnique compoſitione careat, plures tamen *Proprietates* ſolent in eo diſtingui.

Entis itaque Proprietates eae dicuntur quae rebus competunt, quatenus praeciſe ſunt Ens. Et duplicis ſunt generis, *incomplexae* & *complexae*. Primae omnibus omnino rebus quatenus Entia ſunt ſimul conveniunt; hujuſmodi ſunt *Unitas*, *Veritas*, *Bonitas*. Secundae e contra peculia-

culiaribus tantum rebus conveniunt; suntque *Identitas* & *Distinctio*, *Possibilitas* & *Existentia*, *Necessitas* & *Contingentia*. Illae dicuntur *incomplexae* sive *simplices*, quia unico vocabulo exprimuntur; nec non communes, quia rebus omnibus quatenus Entia sunt simul conveniunt. Sic res quaelibet prout est Ens, est simul una vera bona. Istae secus nuncupantur *complexae* seu *compositae*, quia pluribus verbis exprimuntur, & rebus omnibus quatenus Entia sunt simul non conveniunt: ita nequit eadem res esse simul identica & distincta, possibilis & existens, necessaria & contingens, ut patet per se se.

II.

Unitas est indivisio, seu divisionis carentia Entis in se, & divisio ejusdem ab aliis: sic Ens illud vocatur unum, quod & in se omnino est indivisum & a caeteris omnibus distinctum. Unitas duplex est, *simplicitatis* & *compositionis*. Prior est talis indivisio Entis in se, ut sit etiam indivisibile. Posterior autem habetur cum Ens indivisum est quidem in se, sed non indivisibile. Sedulo heic observandum, ne *unum* cum *unico* confundamus; unicum namque alterum simile in eodem genere excludit, unum vero contra: ita unica est *Phoenix* quia sola: omne unicum ergo est unum, non secus, ut cuique manifestum.

Entis realis veritas est conformitas rei cum exemplari suo, sive est assimilatio cum eo quod esse debet. Et quoniam Entia omnia talia sunt in

in se qualia esse debent, hac veritate gaudent, cui nulla opponitur falsitas. Haec vocatur etiam *trascendentalis*, *entitativa* & *metaphysica*, ad distinctionem *logicae* & *moralis*.

Est Entis bonitas eorum omnium praedicatorum possessio, quae requiruntur ut Ens sit id quod est: ita *aurum* dicitur bonum si ea omnia contineat ad auri essentiam requisita. Et quia Ens omne nequit esse nisi id quod est, res quaelibet prout est Ens, dicitur bona. Vocatur haec etiam *metaphysica* ad distinctionem *moralis*, quae in conformitate actionum humanarum cum recta rationis regula tota sistit.

CAPUT VII.

Identitas et Distinctio Entis.

I. *Identitatis definitio & divisio*. II. *De distinctione ejusque speciebus*. III. *Scoti formalis distinctio explicatur*.

I.

IDentitas quae distinctionis negatio dicitur etiam, est duorum Entium indistinctio; seu habetur cum unum Ens idem est ac aliud. Estque *realis* & *formalis*. Illa habetur quando unum est aliud, & a se invicem separari nequeunt licet aliquam inter se distinctionem admittant; ut *animalitas*

& *rationalitas* in homine. Ista vero cum unum adeo est aliud, ut nullam inter se distinctionem admittant, & neque per mentis abstractionem unum sine altero potest concipi; ut *animal rationale* & *homo*.

Identitas differt ab *unione*, quia unita distinctionem admittunt, identificata autem secundum eam rationem qua identificantur, nullam important distinctionem.

II.

Identitati opponitur *distinctio*, quae definitur ideo identitatis negatio; sive habetur cum unum non est aliud: sic quia lapis non est arbor, distinctus ab arbore dicitur. *Diversitas* est negatio ejusdem naturae. *Divisio* est negatio unionis: diversa ergo & divisa sunt distincta, non contra. Est distinctio *realis* & *rationis*. Prior omni intellectus actione remota inter duo invenitur, quorum unum non est aliud. Posterior secus ab intellectus pendet actu.

Distinctio realis duplex est, *realis realissima* & *realis modalis*. Illa habetur cum unum Ens ita non est aliud, ut etiam haec duo Entia separata existant ac existere possint, quin utrisque pereat existentia: ita distinctio ferri a ligno, animae a corpore. Distinctio haec *essentialis* vocatur, si inter ea versetur quae diversas essentias habent; quae essentiae si fuerint generice diversae, distinctio *generica* consequitur; si vero specifice differant, *specifica* audit; *numerica* tandem si inter ejus-

dem

dem speciei Individua adest. Modalis vero inter rem & modum ejus reperitur, sive inter ea habetur, quorum unum ita non est aliud, ut eorum unum ab alio sejunctum nequeat existere: sic esto digitus sine inflexione, tabula sine figura quadrata possint existere; non tamen inflexio sine digito, figura sine tabula existere queunt.

Distinctio rationis autem vel est *rationis ratiocinatae* vel *rationis ratiocinantis*. Prima quae *virtualis* appellatur quoque, fingitur quidem ab intellectu, sed cum fundamento a parte rei, & habetur cum Mens nostra in una eademque re plura tanquam distincta concipit, quia res talis est naturae ut pluribus aequivaleat: ita se habet distinctio inter vim calefactivam & induritivam ignis, quae propter effectuum diversitatem concipitur duplex, licet una eademque sit. Secunda e converso tota ab Intellectu absque fundamento in re fingitur; talis distinctio inter habitum & vestem.

III.

Joannes Duns mei Ordinis cognomento *Scotus* a Patria Scotia quae magnae Britanniae pars extat, *Doctor subtilis* nuncupatus, praecipuus ac peculiaris Deiparae Conceptionis innoxiae defensor, praeter distinctionum genera hucusque reserata, aliam adinvenit, quam *formalem* dixit, eamque propugnavit, suisque posteris tuendam reliquit. Quae formalis Scoti distinctio ut accurate intelligatur, paulo fusius de ea elucidanda sermonem habebimus.

Distinctio formalis itaque juxta mentem Do-

ctoris ea dicitur quae inter plures formalitates reperitur in eadem re inseparabiles, quarum una ex propria entitate non est altera formaliter, & seorsim ab altera conceptibilis est: ita secundum Scotistas *animalitas* & *rationalitas* in homine *formaliter* distinguuntur, quia licet animalitas in eodem homine sit a rationalitate inseparabilis & vice versa; animalitas tamen ex propria entitate non est rationalitas, nec rationalitas formaliter eadem est ac animalitas, & earum una sine altera potest peroptime concipi. Quoniam vero distinctio haec inter formalitates adinvenitur, ne in tenebras incedamus, quid formalitatis nomine veniat aperire operae pretium est.

Formalitates sunt ejusdem rei attributa, quorum unum in suo conceptu formali non est alterum, & conceptu distincto atque adaequato ab alterius conceptu concipi potest: ita animalitas & rationalitas dicuntur formalitates, quia animalitas concipi potest in homine conceptu diverso quo rationalitas concipitur, & in suo formali atque praeciso conceptu rationalitatem non includit. Nuncupantur autem *formalitates* voce diminutiva & derivata a *forma*, quia sicuti forma subjectum physice complet ac perficit, ita formalitates rem cui inexistunt metaphysice complent atque denominant: sic homo ab animalitate & rationinalitate Animal rationale dicitur. Solent quoque formalitates istae appellari *realitates*, *entitates minimae* & *aliquitates*, quia earum una vel altera seorsim accepta totam rei entitatem minime importat. Vocantur tandem *gradus metaphysici*, quatenus

nus attributa sunt quae essentiam cujuslibet rei spectant, sive a supremo genere per genera intermedia ad Individuum usque descendatur, sive contra ab Individuo per speciem & genera tanquam per gradus ad supremum conscendatur genus: sic animalitas rationalitas humanitas & singularitas Petri gradus metaphysici dicuntur, quia per eos ad Petrum usque descendi, & a Petro usque ad animalitatem conscendi potest. Hujusmodi gradus metaphysici sive formalitates sunt vera Entia realia actualia, non quidem physica, h. e. non sunt Entia quae talem essentiam habeant cui propria existentia correspondeat, & accipiant esse per physicam causalitatem; sed sunt Entia metaphysica quae ex toto physico resultant, unica existentia existunt, & unica productione producuntur: sic existente homine statim animalitas & rationalitas in ipso resultant, quae eadem hominis existentia existunt, & pereunt ipso pereunte homine. Sunt diximus vera Entia realia, quia independenter ad intellectus opere existunt, ut cuique innotescit.

Ut autem facilius dignoscatur inter quae distinctio formalis adsit, tria sequentia attendantur signa quae Scotistae communiter ponunt. Primum ex definitione sumitur: *Quae realiter identificantur & tamen diversis definitionibus definiuntur, distinguuntur formaliter*. Secundum est signum contradictionis: *Quae realiter identificantur & de ipsis independenter ab intellectus opere duo praedicata contradictoria verificantur, formaliter distinguuntur*. Tertium tandem est signum reduplicatio-

nis: *Quando una res a parte rei cum alia secundum unum attributum, non vero secundum aliud convenit, tunc attributa illa distinguuntur formaliter*. Quae omnia Scotistae inter hominis animalitatem & rationalitatem manifesta faciunt. Etenim animalitas definitur principium sentiendi; rationalitas autem principium ratiocinandi. Homo per animalitatem dicitur sensitivus, per rationalitatem discursivus. Item per animalitatem cum brutis convenit, disconvenit vero ab ipsis per rationalitatem.

Atque haec, ni mea me fallit opinio, genuina est Scotistarum doctrina circa formalem distinctionem quam cachinnis atque dicteriis afficiunt permulti, & ex iis praesertim qui aut ne a limine quidem Scoti doctrinam salutarunt, aut in hac saltem suae doctrinae parte subtilem Doctorem non intelligunt. Caeterum an inter ejusdem rei formalitates sit distinctio haec admittenda, vel potius illa quae virtualis sive rationis ratiocinatae nuncupatur, ex hucusque dictis meo Lectori discutiendum relinquo.

CA-

CAPUT VIII.

ENTIUM POSSIBILITAS ET EXISTENTIA.

I. Quid possibilitas quidque existentia. II. Inter actualem rerum creatarum essentiam & existentiam distinctio formalis Scotistarum adest. III. Nihil realitatis extra Deum rebus possibilibus inest ab aeterno, secus ac Joannes Wicleffus docuit. IV. Cartesii, aliorumque circa rerum possibilitatem opinamenta notantur. V. Logica rerum possibilitas ab earumdem essentialibus est repetenda. VI. Objecta diluuntur.

I.

Possibilitas duplici ratione considerari potest, vel prout opponitur impossibilitati, vel prout opponitur existentiae. Priori modo spectata est Entium non repugnantia ad existendum, quae possibilitas *logica* dicitur; rebusque tam possibilibus quam existentibus convenit. Posteriori modo definitur possibilitas non repugnantia ad existendum eorum quae actu in rerum natura non sunt, & *metaphysica* nuncupatur, rebusque tantum possibilibus convenit: sic possibilis est alter Mundus.

Quod non existit & existere potest, triplici

modo in rerum natura potest poni, nempe *supernaturaliter*, *naturaliter*, & *moraliter*. Primo modo possibile dicitur quod sola Dei potentia fieri potest, ut caecorum illuminatio, locutio mutorum. Secundo quod naturali virtute esse potest, ut statuae constructio, Turris aedificatio. Tertio tandem modo quod sine magna potest fieri difficultate: sic Rex sapiens & prudens sine magna difficultate subjectos Populos gubernat.

Impossibile dicitur quoque tale supernaturaliter, cum etiam attenta Dei virtute fieri nequit, ut pars aequalis toto, circulus quadratus, idem simul & non: naturaliter cum omnes naturae vires excedit, ut mortuorum excitatio: moraliter tandem cum difficiliter potest fieri, ut properanter incedere & offendere nunquam. Colligendum hinc quod impossibile tam naturaliter quam moraliter est supernaturaliter possibile, ut cuique patet.

Existentia est rei extra suum nihil positio: ita quia arbores, montes, bruta, homines extra suum nihil reperiuntur, existentia nuncupantur. Secus intelligenda venit non existentia. Existentia vel est *a se* vel *ab alio*. Quod ita existit ut rationem sufficientem propriae existentiae in se contineat, dicitur Ens a se: talis est solus Deus. Quod autem propriae existentiae rationem sufficientem in alio habet, Ens ab alio nuncupatur; hujusmodi sunt Creaturae omnes. Quod existit a se, seu per suam essentiam, existit etiam necessario; quod vero existit ab alio, contingenter existit.

II.

II.

Acerrime Thomiſtas inter & Scotiſtas diſputatur, quaenam inter actualem rerum creatarum ſive contingentium eſſentiam & exiſtentiam ſit diſtinctio ponenda? Thomiſtae realem diſtinctionem ſtatuunt, ajentes, rerum contingentium eſſentiam fieri actualem per quamdam entitatem exiſtentiae, realiter ab illius eſſentia diſtinctam, in eaque veluti forma in ſubjecto, receptam: ita inquiunt ipſi, ſicuti per figuram quae eſt aliud a ligno, lignum figuratum evadit, ita per exiſtentiam quae ſit aliud ab eſſentia, Ens ipſum formaliter exiſtens dicatur. Scotiſtae contra diſtinctionem hanc realem rejicientes, ſuam formalem inter actualem rerum contingentium eſſentiam & exiſtentiam ponunt, ſequentibus ducti rationibus:

Quae ſunt ſeparata vel ſeparabilia diſtinguuntur diſtinctione reali (num. II. cap. VII.): ſed actualis rerum creatarum eſſentia nec actu ſeparatur, nec ſeparari poteſt ab earumdem exiſtentia. Enimvero eſſentia haec hoc ipſo quod actualis eſt ſuam exiſtentiam habet, h. e. poſitionem extra ſuum nihil, & hac ablata exiſtentia non eſſet amplius actualis; ideoque ab exiſtentia ipſa nec actu ſeparatur, nec potentia ſeparari poteſt; ſecus namque foret actualis ſimul & non, actualis ex hypotheſi, non actualis quia exiſtentiam non haberet. Patet ergo ipſam rerum poſſibilem eſſentiam haud fieri actualem per aliquam entitatem realiter ab exiſtentia diſtinctam. Haec enim enti-

entitas si ad essentiam necessaria foret, ad existentiam pariter requireretur, quae non minus quam essentia possibilis dicitur: hoc secundum autem Metaphysici nolunt, cum quaeri semper posset de illa forma, per quid formaliter desinat esse metaphysice possibilis & actualis evadat? & sic in infinitum: ergo & primum quoque falsum dicendum, essentia scilicet rerum contingentium ex possibili fit existens, quin Thomistarum illa realitate opus habeat. Distinguuntur autem distinctione formali. Etenim 1. quae identificantur realiter & tamen diversis definitionibus definiuntur, distinguuntur formaliter. 2. quae realiter identificantur & de ipsis independenter ab Intellectus opere duo praedicata contradictoria verificantur, formaliter distinguuntur. 3. quando una res a parte rei cum alia secundum unum attributum non vero secundum aliud convenit, tunc attributa illa distinguuntur formaliter (num. III. Cap. VII.): atqui haec omnia de rerum creatarum essentia & existentia verificantur. Sane 1. essentia definitur id per quod ens est ens, existentia vero entis extra suum nihil positio. 2. ens per essentiam necessarium est ac immutabile, contingens autem ac mutabile per existentiam. 3. tandem ens per essentiam cum rebus possibilibus convenit, disconvenit vero ab ipsis per existentiam: igitur actualem inter rerum creatarum essentiam & existentiam distinctio formalis adest.

III.

Quoad rerum creatarum possibilitatem tria extant Auctorum opinamenta. Et primo occurrit Joannis Wicleffi doctrina, in qua aliquid reale extra Deum ab aeterno rebus possibilibus adjudicat; hujus autem sententiae absurditas antequam pateat, tria instantia pro nostro intelligendi modo respectu divini Intellectus cum Doctore subtili (*a*) sunt distinguenda. In primo instanti divinus Intellectus creaturas in esse intelligibili producit, eas nimirum secundum illud esse concipiendo, quod habere possunt si producantur. In secundo acquirunt Creaturae non repugnantiam seu possibilitatem ex seipsis ad existendum; & in his duobus tota stat possibilitas logica (num.1.). In tertio demum respectum dicunt ad divinam Omnipotentiam, a qua possunt produci, & in hoc metaphysica possibilitas consistit (*ibid.*). His praemissis, ita adversus Wicleffum ratiocinamur:

Posse Deum res creare & annihillare, per Adversarios quoque indubium est: sed hoc falsum esset quoties aliquid reale extra Deum rebus possibilibus ab aeterno inesset. Revera, exigit creatio, rem educi ex nihilo sui & subjecti, annihillatio vero, nihil omnino rei annihillatae remanere: allata autem realitate rebus intrinseca ab aeterno concessa, nec creari nec annihillari res

---

(a) *In* 1. *dist.* 43. *quaest. unica.*

res ipsae a Deo possent, utpote semper illud reale intrinsecum haberent & ante creationem & post annihillationem: dicendum ergo, nil prorsus realitatis extra Deum rebus possibilibus inesse ab aeterno.

Nec reponere juvat, res educi quidem ex nihilo existentiae, ita ut ante productionem non fuerint existentes, non autem ex nihilo essentiae, ita ut esse reale antea non habuerint. Nam ut idea creationis importat, quod creatur a non esse ad esse simpliciter transit, non vero ad esse secundum quid, sive esse existentiae: at in casu Adversariorum res illae non ex nihilo crearentur, sed producerentur ex aliquo, quod absurdum jam ostendimus. Creaturae igitur nil prorsus realitatis extra Deum habent ab aeterno, & possibilitas illa ab aeterno importat solum esse *cognitum*, quod esse *diminutum* Scotus dicit, non aliquid esse reale. Idque Statuae paritate explicat: Sicuti Petrus nihil recipit in se per Statuae productionem ipsum repraesentantis, sed Statua realem tantum in se recipit Petri repraesentationem; ita cognitio Dei producit quidem ab aeterno in Intellectu divino creaturarum repraesentationem, haec tamen repraesentatio nil prorsus realitatis creaturis ipsis communicat. Apposite hinc Augustinus (*a*): *Nota ergo fecit non facta cognovit, proinde antequam fierent, & erant; erant in Dei scientia, non erant in sua natura.*

IV.

---

[a] *Lib.* 5. *de Genesi cap.* 18.

IV.

Opinatur secundo Cartesius, quem ejus asseclae sequuntur, possibilitatem ipsam in genere sumtam ex divinis Attributis, Omnipotentia praesertim, esse repetendam: nulla ergo per Cartesianos interna creaturis inest possibilitas, & ideo aliquid possibile dicitur, quia Deus per suam Omnipotentiam potest illud producere. Sed fallitur Cartesius, dum contra Philosophorum sensum metaphysicam cum logica confundit possibilitatem, & utramque promiscue sumit: est enim una ab altera distinguenda. Sic creaturae per logicam possibilitatem ex sua ratione formali non repugnant ad existendum; per methaphysicam vero exigunt tantum a sua causa produci.

Tandem ex modernioribus permulti laudatam possibilitatis distinctionem servantes, logicam possibilitatem rebus intrinsecam statuunt; metaphysicam vero a divina repetunt Omnipotentia. Opinio haec fuit etiam veterum Scholasticorum, Scotistarum signatim, possibilitatem logicam consistere ajentium in praedicatis rerum essentialibus, h. e. in non repugnantia praedicatorum eorumdem ad existendum. Quoad metaphysicam possibilitatem nulla est difficultas. Nam possibilitas haec exigit tantum rem a sua causa produci posse: atqui divina Voluntas per suam Omnipotentiam generalis rerum omnium est causa: ergo & metaphysicae earumdem possibilitatis.

V.

V.

Quod vero logicam attinet possibilitatem, est haec ab earumdem essentialibus repetenda. Etenim logice possibile id dicitur quod ex sua ratione formali non repugnat ad existendum [n. 1.]: atqui creaturae omnes ex sua ratione formali repugnantiam non involvunt ad existendum: sunt ergo ex suis intrinsecis logice possibiles. Neque ex hoc vel parum accedit divinae Potentiae incommodum: possibilitas namque hujusmodi nil realitatis extra Deum importat, sed tantum esse cognitum a Deo ipso dependens; unde fit ut nihil Creaturae habeant quod primum a Deo independens dicatur.

VI.

Objiciunt Cartesiani. Nedum quoad metaphysicam possibilitatem Creaturae a divina pendent Omnipotentia, sed etiam quoad logicam; secus enim Potentia Dei penderet a creatis, cum ideo Deus eas producere posset, quia logica gauderent possibilitate.

Resp. Nonnisi illegitime infertur, Dei Potentiam a creaturis pendere, ex quo logica possibilitas rebus ipsis intrinseca dicatur. Siquidem non ideo praesertim potest Deus res creare, quia logice possibiles sunt, bene vero quia cum infinita polleat perfectione, efficere id omne valet quod nullam importat repugnantiam. Non alia itaque inter

inter Dei Potentiam rerumque logicam possibilitatem dependentia adest, nisi quae inter *correlata* h. e. potentiam & objectum adinvenitur, quod sane nil divinae officit Potentiae, cum in hypothesi impossibilitatis creaturarum, adhuc ipsa subsisteret Dei Potentia, quia absoluta & a creatis rebus omnino independens.

Instant secundo, Logica rerum possibilitas est perfectio respectu Creaturarum: igitur si Creaturae ex suis essentialibus logice possibiles forent, jam aliqua earundem perfectio a Dei Potentia minime penderet; immo Deus ipse quoad hanc rerum perfectionem dependeret a creatis rebus dum illas produceret; simulque adaequatam haud haberet virtutem res e nihilo creandi, quo certe nil absurdius. Postremo si Creaturae forent ab intrinseco possibiles, essent jam contingentes & necessariae: hoc autem contradictionem sapit: dicendum ergo, logicam rerum possibilitatem quoque a sola divina repetendam esse Omnipotentia.

Resp. ad primum. Duplex distinguenda cum Philosophis Creaturarum perfectio, *positiva* nempe & *negativa*. Prior habetur quando Creaturae suum esse habent reale, positivum atque completum. Posterior autem, cum in statu merae possibilitatis reperiuntur Creaturae ipsae. Quamobbrem cum rerum logica possibilitas sit pura non repugnantia ad existendum, ideoque negativa perfectio, nihil obstat quoad hanc Creaturas a Dei Potentia independentes adserere. Sunt enim in se spectatae purum nihil, simulque ut cognoscantur

tur a divino pendent Intellectu, ut pluries diximus. Neque ex hoc, *ad secundam*, Dei virtus vel minimum laeditur respectu creationis rerum ex nihilo. Tunc enim id eveniret, quoties logica ipsa possibilitas aliquid positivi ac realis complecteretur. Creantur itaque res ex nihilo non quidem possibili ac repugnante, sed actuali ac existente, quod peroptime in nostra sententia eruitur. Implicat *ultimo* verificari contradictoria de eodem secundum idem, non autem de eodem secundum diversum respectum. Sunt igitur res contingentes quoad existentiam, necessariae quoad possibilitatem: non ergo ab extrinseca causa, sed a rerum essentialibus auspicanda est earumdem logica possibilitas.

CAPUT IX.

DE ENTIUM NECESSITATE ET CONTINGENTIA.

I. *Quid & quotuplex necessarium & contingens:* II. *Num rerum essentiae sint ab aeterno necessariae ac immutabiles?* III. *Quaestio determinatur.* IV. *Adversariis occurritur.*

I.

Necessarium id vocatur quod aliter ac est esse nequit. Secus autem *contingens* aliter ac est esse potest.

Est

Eſt *metaphyſice* neceſſarium quod aliter ac eſt eſſe nequit, ejuſque oppoſitum omnino repugnat: ita Deus eſt infinitus, quia ſi aliter foret, ſimul eſſet Deus & non, quod implicat. E converſo metaphyſice contingens aliter ac eſt eſſe poteſt quin aliqua contradictio ſequatur: ſic contingens eſt Petrum liberalitate ornari, cum ipſa ulla abſque repugnantia privari poſſit. *Phyſice* neceſſarium ſalvis naturae legibus aliter ac eſt eſſe nequit: ita quia ſalvis naturae legibus nequit magnes non dirigi polum verſus, iſthaec magnetis verſus polum directio phyſice neceſſaria vocatur. Secus autem dicendum de phyſice contingenti: ſic quia Petrus ſalvis naturae legibus, poteſt liberalitate privari, haec liberalitas ei phyſice contingenter competit. Moraliter tandem neceſſarium aliter ac eſt eſſe non ſolet: ita neceſſarium moraliter eſt, ut male verum examinet omnis corruptus Judex. Contra moraliter contingens aliter ac eſt eſſe ſolet: ſic moraliter contingens eſt ſtultum operari uno modo hodie, cras autem oppoſito.

Ex modo dictis inferendum 1., phyſice & moraliter neceſſarium eſſe metaphyſice contingens, cum ejus oppoſitum non abſolute repugnet. Quocirca metaphyſice neceſſarium dicitur neceſſarium *abſolute* & *ſimpliciter*; phyſice vero & moraliter, vocatur neceſſarium *reſpective* ſive *ſecundum quid*, relate nimirum ad leges naturae & morum. Deducendum 2. quod de neceſſario & contingenti diximus, intelligendum quoque de immutabili & mutabili.

II.

Quaerere heic solent Metaphysici: num rerum essentiae sint ab aeterno necessariae ac immutabiles? Et primo rerum essentiam id dixerunt Scholastici quod est primum conceptibile, & a quo omnes rei intrinsecae manant proprietates. Cartesius (*a*) unam statuit cujuscunque substantiae qualitatem, quae ipsius naturam ac essentiam constituit. Wolfius essentiam definit id quod primum in Ente concipitur, & in quo ratio sufficiens continetur cur caetera vel actu insunt, vel inesse possunt. Genuensis tandem est essentia inquit (*b*) *forma rei intrinseca, qua res potius talis est quam talis*. Verum quidquid sit de traditis essentiae definitionibus, id omne nos essentiam rerum vocamus, per quod res ipsae sunt id quod sunt: ita essentia arboris est id per quod arbor est arbor, essentia bruti est id per quod brutum est brutum, idque de aliis dicatur.

Essentia dicitur quoque *natura*, hoc tamen discrimine, quod prout est attributorum Entium origo vocatur essentia, quaeque idcirco in ipsorum unione consistit; in quantum vero est origo operationum, natura nuncupatur: sic per essentiam homo est animal rationale; percipiens autem, judicans, discurrens, volens per naturam.

Omne

(a) *Part. I. Princip.*
(b) *Elem. Metaph. Part. Prior. cap. 3.*

Omne id ergo quod Ens in suo esse constituit, attributum essentiale ac primarium dicitur. Quod ut facilius dignoscatur, tribus sequentibus attendendum conditionibus. 1. *sit absolute primum.* 2. *proprium.* 3. *aliorum attributorum origo*. Ita se habent *animalitas* & *rationalitas* in homine: nihil enim ipsis prius potest in homine concipi: nulli aliae speciei conveniunt: ex ipsis tandem caetera hominis deducuntur attributa & proprietates. Quod si attributum aliquod unam tantum vel binas ex allatis possideat conditionibus, attributum secundarium dicetur.

Rerum essentia duplex est, *metaphysica* & *physica*. Prior quaedam est forma abstracta quae efficit ut res quaelibet sit id quod est: ita animalitas & rationalitas metaphysica hominis essentia dicuntur. Vocatur *metaphysica* quia ut sic a parte rei non existit; nec non *generalis* quatenus indiscriminatim rebus omnibus tam possibilibus quam existentibus convenit. Posterior sive physica ipsamet est metaphysica essentia e nihilo creata, & huic vel illi Enti applicata. Dicitur haec *singularis* quatenus unumquodque Ens existens suam peculiarem essentiam habet, quaeque producitur cum Ens particulare producitur, & illius Entis destructione destruitur. De hac in praesentia non loquimur: certum namque per omnes Metaphysicos est, ipsam esse contingentem, cum potuerit non esse, antequam Entibus applicaretur.

Quoad metaphysicas autem rerum essentias opinatur Cartesius, eas non ideo absolute necessariae esse ac immutabiles, quia necessariam prae

se ferunt attributorum connexionem, sed quia ita divinae placuit Voluntati, cujus nutui etiam nunc subjiciuntur, taliter ut possit Deus aliter eas constituere ac mutare, sicuti potest efficere Deus per Cartesium, ut sit homo quin sit animal rationale, ut bis quatuor non sint octo, ut totum non sit sua parte majus, aliaque hujusmodi. Exposita nunc Cartesii sententia ex altera ipsius enascitur, in qua logicam rerum possibilitatem a Dei pendentem Omnipotentia statuit, quam falsam Capite praecedente jam ostendimus.

III.

Essentiae rerum metaphysicae etiam respectu divinae Voluntatis sunt ab aeterno necessariae ac immutabiles. Et re quidem vera essentiae ejusmodi laudata gaudeant necessitate ac immutabilitate necessum est, quoties earum oppositum repugnet manifeste: repugnat autem. Siquidem repugnat idem simul esse & non: atqui si id non repugnaret idem esset simul idem & non; idem ut supponitur, non idem quia ejus oppositum posset fieri: igitur si Entium essentiae sunt id per quod Entia sunt Entia, jam essentiae ipsae sunt ab aeterno absolute necessariae ac immutabiles, etiam penes Dei Voluntatem, quae nequit velle repugnantia, ut modo patebit.

IV.

Deus quia Omnipotens, ajunt Cartesiani, cuncta

cta potest: igitur essentiae rerum metaphysicae possunt a Deo inverti.

Resp. Potest quidem Deus quia Omnipotens cuncta quae nullam involvunt repugnantiam, suntque possibilia, non autem quae repugnant ac impossibilitatem redolent: haec enim cum sint *nihil*, nequeunt profecto tanquam objectum divinae subjici Potentiae, cujus proprium est circa aliquod semper occupari. Hinc cum oppositum essentiarum metaphysicarum repugnet penitus, ut supra probavimus, haudquaquam a divina fieri posse Potentia dicendum est. *Quodlibet inconveniens*, ait B. Anselmus, *apud Deum impossibile est, & idcirco Omnipotens est, quia impossibilia facere nequit.* Nec vel parum divina minuitur Potentia, ex quo metaphysicas rerum essentias ab aeterno necessarias dicamus ac immutabiles. Ut enim optime advertit Ugo Victorinus (*a*): *Summe potens est, qui potest omne quod possibile est: nec ideo minus potest, quia impossibilia non potest; quia impossibilia posse non est posse, sed non posse. Hinc omnia potest Deus, quae posse potentia est; & ideo vere omnipotens est, quia impotens esse non potest.*

Instant 2. Verbum Divinum cum Patre essentia convenit, disconvenit persona ex Catholica Fide. 2. Christi Corpus pluribus in locis adinvenitur, aliaque hujusmodi: sed impossibile est rem aliquam habere unam eandemque cum altera

(a) *Lib.* 1. *de Sacram. Fidei Part.* 1. *cap.* 22.

ra eſſentiam, ſimulque ab ea differre; ſicuti definitam corporis extenſionem multis aequaliter coexiſtere extenſionibus: igitur impoſſibilia etiam poſſunt fieri a Deo; ideoque oppoſitum eſſentiarum metaphyſicarum, de quibus in praeſentia eſt ſermo.

Reſp. Allucinantur apertiſſime Adverſarii noſtri dum vel minimam impoſſibilitatis notam in Sacroſanctis fidei Myſteriis pro eorum patrocinanda ſententia deprehendere ſtudent. Siquidem non omne quod finita mens ac imbecillis concipere nequit eſt impoſſibile pronunciandum, ſed illud tantum, quod & ex ſuis intrinſecis, & ex parte ejus cauſae repugnat. Quapropter licet allata fidei Myſteria ex ſuis intrinſecis nobis finita mente praeditis repugnare videantur, non ita tamen ſunt ex parte cauſae nempe Dei, qui hoc ipſo quod ea effecit, erant ei poſſibilia, cum nequeant quae impoſſibilia ſunt fieri a Deo (num.III.); idque ut diximus non ex defectu divinae Potentiae, ſed quia impoſſibilia nequeunt habere rationem factibilis atque poſſibilis: unde niſi penes nos uſus loquendi invaluiſſet, melius diceretur ea non poſſe fieri, quam Deum ea non poſſe facere. Potius ergo imbecillitas noſtra fatenda eſt, quam Sacroſancta Fidei Myſteria audacter ſcrutari.

Inſtant 3. Si rerum eſſentiae metaphyſicae ab aeterno ſtatuuntur neceſſariae ac immutabiles, actum eſſet jam de earum creatione, cum dato in caſu non ex nihilo, ſed ex aliquo educerentur, quod creationis ideam omnino deſtruit: exigit namque haec rem ex nihilo educi dum creatur. Exurgunt inſuper eſſentiae hujuſmodi ex data attri-

attributorum essentialium necessaria unione; sed repugnans videtur aliqua simul uniri necessario & non esse aliquid: igitur revera laudatae essentiae aliquid sunt ab aeterno, ac per consequens creari nequeunt: hoc secundum nolunt Metaphysici; ergo nec primum tueri debent.

Resp. ad primum. Exigit quidem creatio res e nihilo actuali ac reali educi dum creantur, minime autem e nihilo intelligibili a divino dependente Intellectu, ita ut creari nequeant Dei abducta intellectione antecedente: hoc autem cum peroptime in nostra salvetur sententia respectu essentiarum metaphysicarum, quae ut intelligantur a divino pendent Intellectu, ut Capite praecedente diximus; patet ideo adducti momenti falsitas.

Ad secundum. Essentiae rerum metaphysicae exurgunt quidem ex tali necessaria ac immutabili attributorum essentialium unione, sed unio haec non aliunde quam ex eorum intrinseca non repugnantia atque divino ex Intellectu derivari dicitur: ex ipso enim esse intelligibile habent, sine quo nec sunt, nec erunt unquam: nihil ergo realitatis continet in se laudata unio attributorum essentialium, ex qua res educuntur cum a Deo creantur; ideoque essentiarum metaphysicarum absoluta necessitas ac immutabilitas creationi non officit, secus ac Adversarii adstruebant.

CAPUT X.

IN QUO DE RERUM SUBSISTENTIA DISSERITUR.

I. *Quid Subsistentia, quae ejus munera & nomina.* II. *Metaphysicorum circa eam opinamenta.* III. *In negativo cum Scotistis consistere tuetur.* IV. *Aristotelicum illud effatum:* Actiones sunt Suppositorum, *explicatur.*

I.

HUcusque de Entis realis Proprietatibus tam incomplexis quam complexis, quae substantiis & accidentibus aequaliter conveniunt, disseruimus; agendum modo de rerum subsistentia remanet, quae substantias tantum minime accidentia spectat; quaeque definitur idcirco naturae substantialis incommunicabilis existentia.

Munera itaque subsistentiae sunt 1. substantialem naturam ita terminare & complere, ut in se ipsa existat, suique juris ad operandum reddatur; 2. alteri substantiae incommunicabilem reddere. Ejusmodi autem incommunicabilitas per Scotum, quem omnes sequuntur, duplex esse debet, *ut quod & ut quo, tam actualiter quam aptitudinaliter.* Dicitur natura quaevis substantialis incommuni-

municabilis ut quod, quia non poteſt communicari tanquam ſuperius inferiori; ut quo autem; quia non poteſt communicari tanquam forma ſubjecto: actualiter, cum actu alteri rei non communicatur, ab eaque non pendet; ſecus namque compleretur ac perficeretur ab alio: aptitudinaliter demum, quando potentia apta non eſt ac inclinata ad communicari & dependere; contra enim imperfectionem ſaperet, ſeu potius completa ac perfecta eſſet ſimul & non: completa quatenus ſubſiſtens, non completa quia perfici ac compleri ab alio expoſceret. Subſiſtentia dum complet naturam intellectualem dicitur *Perſonalitas*, quae definitur merito: naturae intellectualis incommunicabilis exiſtentia; quando vero naturam materialem complet *Suppoſitalitas* nuncupatur; eſtque naturae materialis incommunicabilis exiſtentia. Perſonalitas ergo cum ſuppoſitalitate convenit, quatenus ambo naturam ſubſtantialem incommunicabilem reddunt; diſconvenit autem, quatenus illa naturam intellectualem, haec vero materialem complet.

II.

Quaeſtio eſt Thomiſtas inter & Scotiſtas: num creatarum rerum ſubſiſtentia in poſitivo vel negativo conſiſtat? Affirmantem ſententiam Thomiſtae defendunt, qui ſubſiſtentiam dicunt quamdam poſitivam entitatem creato Individuo ſingularique naturae realiter ſuperadditam, & in qua duplex illa incommunicabilitas fundatur ad ſubſiſten-

sistentiam ipsam necessario requisita. Scotistae contra pro negativa stant sententia propugnantes, subsistentiam minime esse allatam entitatem creato Individuo realiter superadditam, sed tantum in duplici laudata incommunicabilitate consistere, & jure quidem ac merito:

III.

Etenim nihil positivi creatis Individuis subsistentiam superaddere autumandum, quoties ipsa ad nullam reduci possit positivorum Entium classem: atqui ita res est. Sane Entia quaelibet positiva vel *physica* sunt vel *metaphysica*: non est 1. subsistentia aliquid physicum, h. e. non substantia neque accidens: non substantia, alioquin in eodem Individuo subsistente duo forent substantiae, quod subsistentiae natura non patitur; neque accidens, secus enim non foret amplius naturae substantialis complementum, quod ipsimet nolunt Thomistae: subsistentia igitur nec substantia nec accidens est, ideoque nec entitas aliqua, sive perfectio physica. Nec 2. metaphysica perfectio dici potest. Entitates namque omnes, sive creatorum Individuorum metaphysicae formalitates intime eorum essentiam spectant, & ita cum ipsa identificantur, ut nequeant ab ea separari: atqui subsistentia intimam rerum essentiam non ingreditur, & ab ipsa substantiali natura separabilis est saltem divinitus, ut de facto a Christi Domini humanitate actu separatur: non est ergo entitas

titas aliqua metaphyſica ſingulari naturae ſuperaddita.

Inſuper nulla eſt neceſſitas ſtatuendi ſubſiſtentiam in poſitivo. Neceſſitas namque haec vel eſſet ad hoc ut natura ſubſtantialis per ſe exiſteret, vel ut duplici illa gauderet incommunicabilitate, vel tandem ut agere poſſet ac operari: ſed nullo horum ex capite argui poteſt illa neceſſitas. Non ex primo, cum ad exiſtendum per se ſola ipſa rei ſufficiat ſubſtantia: non ex ſecundo, cum laudata incommunicabilitas ſtare peroptime videatur in individuali natura ullo abſque ejus poſitivo ſuperaddito: neque tandem ex tertio capite evinci id poteſt; Individui enim cujuslibet operationes ex ejus ſingulari habentur ſeu oriuntur natura, quae earundem operationum, per ſuas ſcilicet potentias, principium eſt atque origo. Sic anima rationalis ſejuncta a corpore ſuas intellectiones elicit, ut ſuo loco videbimus, & ipſamet divina Natura concipitur eliciens ſuas operationes, quae *eſſentiales* nuncupantur, priuſquam terminata concipiatur per ſuas hypoſtaſes, ſive relationes, ut in Tractatu de Trinitate Theologi docent.

IV.

Neque Adverſarii illud nobis objiciant Ariſtotelicum: *Actiones ſunt ſuppoſitorum*: hoc namque effatum ſi abſolute accipiatur ita ut nequeant in Individuo operationes abſque ſubſiſtentia haberi, falſum abſolute dicendum eſt, ut ex modo dictis

dictis respectu animae rationalis a corpore sejunctae, divinaeque Naturae apertissime constat. Denominative ergo tantum effatum illud veritatem consequitur, ut explicat Scotus, quatenus scilicet actiones naturam suam individualem denominant per se completam, existentem & terminatam; atque ita intellectiones, volitiones, nolitiones &c. principiative mentem, denominative vero hominem, h. e. Personam humanam respiciunt.

Subsistentia igitur naturam substantialem haud complet, perficit, sustentat, vel incommunicabilem positive reddit, sed ipsamet substantialis natura in suo esse completa atque perfecta sese sustentat, qui effectus est utique positivus: adveniente autem subsistentia, negat substantiali naturae communicabilitatem, sive ipsam incommunicabilem reddit, & independenter operantem; hicque effectus idcirco est tantum negativus.

Finis Primæ Partis Metaphysicae.

ME-

METAPHYSICES

PARS SECUNDA,

Seu

THEOLOGIA NATURALIS.

SI quae in universa Metaphysica praestans atque utilis comperitur Disputatio, ea profecto est, quae Dei ejusque attributorum exhibet cognitionem. Sane cum primum ac stabile Christianae Religionis fundamentum veritas sit existentiae Dei, atque attributorum ejus recta cognitio; iis quae ipsum respiciunt notitiis habitis, & Religio sancte pieque subsistat, & officia ipsi ab hominibus debita recte absolvantur, necesse est. Quid insuper praestantius atque utilius excogitari a Mente humana potest Deo O. M., cujus nutui Nos, omniaque nostra subjiciuntur, a quo sapientissimo consilio gubernantur, & in cujus manibus tandem sortes hominum positae sunt? Terrena haec nostra atque caduca tanquam nihilum reputantur in conspectu ejus, & veluti nives solutae Sole ab oculis sapientissimi Dei evanescunt, qui semper est, & dies ejus in aeternum manebunt. Jure hinc meritoque penes Philosophos tam priscos, quam novos

vos *Theologia naturalis* invaluit; Facultas nimirum naturali ratione, prout Philosophum decet, de Deo, ejusque attributis edisserens. Quae igitur caeteris hanc nobiliorem utilioremque Metaphysicae partem maxime spectant, sequentibus aperiemus.

CAPUT I.

DE DEI EXISTENTIA.

I. *De Dei disputare existentia vanum stultumque foret, nisi Athei adessent.* II. *Et quoniam sunt, eorum solvantur objecta necesse est.* III. *Atheismi natura, atque varietas.* IV. *Athei cur frequentiores in magna Britannia atque Batavia?*

I.

NUm Deus existat scrutari, idem mihi esset ac insanire prorsus. Tam aperta siquidem, tamque perspicua est supremi Numinis rerum omnium principii atque finis existentia, ut eam in dubium vertere idem omnino sit, ac Coelum & Terram, Stellas & Arbores, Elementa & Animalia, quae ejus enarrant gloriam (a) perfracte insi-

(a) *Interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia*

inficiari. Idem ac communi Gentium omnium suffragio, ita eamdem aperte praedicantium (a) ut *vox Naturae* existentia eadem merito censeatur, obsistere pertinaciter. Itaque sicuti eos deliros dicimus, qui prae manibus artefacta habentes, puta horologium, baculum, ensem, eorum vel in dubium ponunt Artifices, vel obstinate inficiantur: eccur non istos qui supremi Opificis Dei existentiam vel e medio tollere, vel de ea ambigere audent?

Neque hoc meum de Dei existentia judicium novum est. Firmat namque illud ex Ethnicis Tullius, malam & impiam de Diis disputandi consuetudinem statuens (b), sive ex animo, sive simulate id fiat. Firmant ex Cristianis vel ipsimet Religionis nostrae hostes Dominus de S. Evremontio, & Voltaerus, quorum scripta licet adversus Deum, ejusque Ecclesiam praesentissimo sint consperса veneno, huic tamen luci existentiae Dei obsistere haud patientes, eorum primus velut temera-

latilia Coeli, & indicabunt tibi. Loquere Terrae, & respondebit tibi: & narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod omnia haec manus Domini fecerit? Job. cap. 12. *v.* 7. 8. 9.

[a] *Nulla Gens est neque tam immansueta, neque tam faera, quae non etiamsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. Cic. de Legib. lib.* 1. *n.* 8.

(b) *Lib.* 2. *de nat. Deor. n.* 67.

merarium & perniciosum illud arguit Opus (*a*), quod de supremi Entis existentia habet sermonem, eamque probare conatur; simulque offensionem potius quam pietatem praeseferre alter fatetur (*b*). Ita res procedit: Deum impii quaerunt, dumque in minimis etiam hujus Mundi reperiunt, religionem fingunt, suarumque actionum vindicem gemunt, juxta Poetae illud:

Quaesivit Coelo lucem, ingemuitque reperta.

Soli itaque lumen accendunt, qui primo Dei existentiam monstrandam adoriuntur.

II.

Sed quoniam non defuere in Mundo homines, & utinam modo non essent! qui opinandi arbitrio abusi, extra propriae finitatis limites aberrantes, cuncta, ne quidem Divinitate excepta, sus deque verterunt, operae idcirco pretium duximus, pessimam hanc vitiorum hydram heic tantum radicitus evellere, Atheorumque obstruere os loquentium iniqua, ne in malitia glorientur, quia potentes in iniquitate. Perditi inquam ejusmodi homines quia Entis primi secreta noscere mortalibus in hac Mundi scena negatum, dum temere ejus scrutarentur arcana, tanti luminis splendore perculsi, vel delira & absona prorsus de eo protulerunt, vel quod ignorabant blasphemantes,

---

(a) *Jugement sur les Sciences tom. 1.*
(b) *Ep. 25. sur les Pensées de M. Paschal.*

mantes, corde & ore dixerunt: *non est Deus*. Cum his ergo Divinitatis osoribus est nobis agendum: quod ut meliori, prout decet, ordine exequatur, primo Atheismi naturam aperiemus & varietatem, ipsius secundo veras exponemus causas, tandem eorum systematum fallacias sine aestu aut invidia, sed candide placideque monstrabimus. A leni pulsu lux enascitur, a rudi collisione ignis. Sapientia habitat in regionibus serenis & intempestis, simulque efficacissimum erroris in alios remedium reor, placida & perspicua refutatio.

Deus interim Pater luminum, cujus causam patrocinamur, sit a dextris meis, erroris tenebras depellat, atque fallaces rerum imagines, ut veritatem, cujus amore omnes homines flagrant, puram & intemeratam tandem intueantur. Postremo exclamare mihi libeat, ut olim in Synephebis Statius:

Pro Deo, popularium omnium, omnium Adolescentium
Clamo, postulo, obsecro, oro, ploro, atque imploro fidem.

III.

Atheos graece idem latine valet ac *sine Deo*. Quoad naturam vero Atheus ille dicitur homo, qui supremi Entis Dei existentiam inficiatur, ac plane rejicit.

Atheorum alii dicuntur *theoretici*, *practici* alii. Primi vel Deum aperte negant, ut olim Protagoras, Diagoras Mezius, Theodorus Cyrenaicus, & au-

& nuperrime Vaninus; vel ex philosophicis quas efformant hypothesibus, id deducere conantur, cujusmodi sunt Materialistae & Pantheistae omnes. Secundi h. e. practici, ita inter voluptates Mundique illecebras vitam agunt scelestissimam, ut indicia praebeant non adesse Deum supremum humanarum actionum inspectorem ac vindicem; cujus generis Atheorum magnus extat hominum numerus: quotquot ergo sive dictis sive factis Deum esse negant, Athei jure nuncupantur.

Deistae & *Politichistae* inter Atheos theoreticos secundi generis sedem quoque possident suam. Solam naturalem rationem, quacumque despecta relevatione, Deistae sectantur, quorum error viam Atheismo indubie sternit. Politichistae vero, Dei quam habemus notitiam a sola Legumlatorum astutia, qua populos in obsequio continerent, auspicandam docent. Sed nil mirum: nova enim adserta quamvis delira amant magis homines quam veritatem; simulque novitatum amatores magis sunt quam Dei.

IV.

Licet ubique gentium ut venenosae herbae Athei signatim practici adinveniantur conspersi, nullibi tamen susius quam in magna Britannia atque Batavia, ipsismet regionum harum fatentibus Scriptoribus (1), semen suum seminarunt, no-

(1) *Vide* il Gentiluomo Istruito del Sig. Dorell

novosque in dies tanti pestiferi seminis fructus colligunt. Neque id mirum cuique videndum: immoderata enim illa ac prorsus effrenis, qua usi sunt, hodieque utuntur philosophandi libertas, ejusmodi homines, tanti effectus princeps causa extat. Huic typographica accedit libertas, quae sane eo exitiosior censenda, qua remotioribus posteris veluti haereditarium jus, lethiferas Parentum fideliter tradit doctrinas. Dogmata quae lingua proferuntur statim aura dissipat; quae vero scribuntur & libris imprimuntur, & gravius lectores premunt, & difficiliter se iisdem exuunt.

rell Inglese; nec non Voetium *disput. de Atheismo* ita scribentem: *L'on ne peut pas nier, que nos Provinces d'Hollande ne soient, comme l'Afrique, le sejour de plusieurs monstres, tels que sont les libertins, les fanatiques &c.*

CAPUT II.

DE VERIS ATHEISMI CAUSIS.

I. Atheismi theoretici primi generis causa levis est atque inconstans. II. Secundi generis autem rationis abusus. III. Ignorantia prima est Atheismi practici causa: morum corruptio secunda.

I.

Non aliunde melius cognosci, atque refelli Atheorum possunt errores, quam ex clara eorum fontium explicatione, e quibus tot pudenda asserta deducere student pessimae hujus farinae homines. Pateant ideo nunc verae Atheismi causae.

Et quod primi generis Atheos theoreticos maxime attinet, horum doctrinae causa levis prorsus, inconstans & perridicula videtur. Protagoras siquidem librum quemdam ita exorsus est: *de Diis quidem an sint nec ne, statuere nequeo. Sunt enim plura quae id scire prohibeant, summa nempe rerum incertitudo, & vitae humanae brevitas* (a). Ob hoc autem principium operis, referente Tul-

(a) *Laert.* IX. 51.

Tullio (a), ab Athenienſibus exilio mulctatus eſt, librique ejus in foro cremati ſunt ſub voce praeconis, a ſingulis qui illos habebant, inveſtigati.

Sed cachinnis digna prorſus eſt cauſa, qua Diagoras Deum ejuſque Providentiam eſt rabide inficiatus. Is enim, juxta Heſychium (*b*), Poetam quemdam in jus convenit, eo quia opus quoddam poeſi refertum fuerat ipſi furatus: hic ſecus coram Judice ejurando, tanquam innocens etiam capta praeda dimittitur. Non poſt multum temporis cum magna ſui nominis gloria illud publici juris fecit. Diagoras autem ut ſuum hoſtem nedum a quavis poena immunem, immo honore plurimo cumulatum inſpexit, neque Providentiam neque Deos eſſe clamavit, varioſque hac de re conſcripſit libros. Verum Athenienſes doctrinae hujuſce cauſam expoſcentes, fugae ſe dedit, unde decretum, ſimulque talentum unum ei promiſſum qui necem Diagorae inferret, & duo talenta, qui vivum in foro deduxiſſet.

Theodorus Cyrenaicus Deos quoque negabat, libroſque ſcripſit, ut Suidas ait, quibus omnia quae urgeri contra ſolent, refutabat. Idem poſtea per jocum Θεός dictus, & hujus rei occaſio diſputatio cum Stilpone fuit, cujus haec ſumma extitit. „ Num credis, ajebat Stilpo, te hoc eſſe quod te „ eſſe affirmas? cui cum annueret Theodorus, Stil„ po pergebat, ſi diceres igitur Deum te eſſe,

(a) *Lib.* 1. *de nat. Deor. n.* 23.
(b) *In Diagoram.*

„ num esses? cumque rursum Theodorus assensum „ praebuisset : eris igitur, subjunxit Stilpo, o „ scelus! eadem ratione avis, & quaecumque „ res alia (a) „. Eum Cyrenaici relegarunt, & Athenas delatus in Areopagi judicium incurrit, simulque morti fuisset traditus, nisi Demetrii Phaleraei evasisset auxilio. Post varias tandem peregrinationes ob impia adserta ubique disseminata, hausto veneno, periit, ut Amphicrates loquitur (b).

De Julio Caesare Vanini non est quod plura dicam, cum ejus adversus Deum impietas longe lateque pateat. Solum addam quod Tolosae tanquam juventutis vitiator, existentiae Dei impugnator acerrimus, simulque Mysteriorum nostrae Religionis derisor fuit igne crematus, & miserrime uti vixerat, vitam finivit. Sed quoniam cicada semper est cicadae cara, & formica formicae, ita non defuere ex Libertinis, qui Vaninum bonis moribus ornatum suadere conati sunt. Ita se habet Baelius Incredulorum signifer (c). Verum licet instituti nostri haud sit de vita moribusque Vanini heic contendere, tamen ut Baelii patrocinium injustum, nulloque fundamento innixum suadeamus, sufficiat tantum Viri gravissimi Bartholomaei Gramondi tunc Tolosae Praesidis per-

(a) *Laert. II.* 101.
(b) *Idem ibid.*
(c) *Pens. divers.* §. 17.

perpauca verba referre (*a*): „Vidi ego *Vaninum* „ in custodia, vidi in patibulo, vidi antequam „ subiret vincula: flagitiosus in libertate, & „ voluptatum sectator avidus, in carcere Catho„ licus . . . Postulatus corruptae per novum „ dogma juventutis, in vincula conjicitur; Ca„ tholicumque se Orthodoxum mentitus differt, „ quam metueret poenam . . . . Sistitur Senatui „ audiendus de more reus: rogatusque de Deo „ quid sentiat, respondet, coli sibi in Trinitate „ Unum, qualem adorat Ecclesia Orthodoxa . . . „ Haec cum diceret, fortuitam e terra paleam „ legit, manuque ad Judices protensa, haec, „ inquit, palea jubet ut credam Deum „. Infelix tamen Vaninus, ut idem refert Scriptor, dum vidit ejus verba ad effugiendam mortem proficere nihil, in Deum furit, adversus eum maledicta evomuit, atque stoica firmitate impavidum se mortem subire pronunciavit. „ Sed falso, *prose„ quitur Historicus*. Sane imperterritum se dixit „ scelestus homo, quem vidimus dejectum animo „ philosophia uti pessime, cujus se mentiebatur „ professorem. Erat illi in extremis aspectus „ ferox & horridus, inquieta mens, anxium „ quodcumque loquebatur; & quanquam philo„ sophice mori se clamabat identidem, finiisse „ ut brutum, nemo negaverit „. Habemus hinc primi generis Atheismi veram causam, levitatem nimi-

---

(a) *Hist. lib. 3. pag. 209.*

nimirum, inconſtantiam, hebetudinem; habemus quoque & finem.

II.

Ad Atheos ſecundi generis modo accedamus, quorum Atheiſmi cauſa in promptu eſt: rationis abuſus. Propriae obliti finitatis hi perditi homines, liberrime humana divinaque ſcrutantur audacter. Et quoniam ab aliis diſcerni magni ducunt, divinitatis lumine externati, hypotheſes ad libitum fingunt, quibus mediis Deum non eſſe ſuadere conantur: hinc vel materiam aeternam pronunciant, e cujus ſinu variis accedentibus atomorum combinationibus, Mundum hunc adſpectabilem cum omnibus entibus ipſum componentibus educunt; vel ideam illam quam nos homines de Deo primo Ente habemus a Legumlatorum figmentis, aut ex timore phoenomenorum aeris, aut e tonitruis caſu natam opinantur, affirmant, defendunt; vel demum Deum cum hoc Univerſo confundunt, unamque fatentur Subſtantiam cogitantem ſimul atque extenſam, iiſque omnibus attributis & proprietatibus praeditam, quae corporeis rebus atque ſpiritualibus in ſpecie conveniunt. Merito hinc Varo haec aliaque ejuſmodi mente volvens Philoſophantium deliramenta potius, quam opinamenta, ait (*a*): *Nemo*

(a) *In fragmen.*

Nemo aegrotans quicquam somniat tam infandum, quod non aliquis dicat Philosophus.

III.

Ignorantia princeps mihi videtur Atheismi practici causa. Sunt in Mundo homines & quidem non inferioris numeri, qui proprium naturae lumen non adtendentes, nil unquam, ne quidem clarissimas veritates ac inventu facillimas noverunt, sed pecudum more Incredulorum dicta sequentes, quo itur, pergunt, otiantur, nil sensibus denegant, vitam brutinam potius quam humanam agunt; sicque quasi non esset Deus belluarum more denascuntur.

Atque ex hoc humanae rationi dubio procul adverso principio secunda nascitur Atheismi practici causa, quae morum praesefert corruptionem. Etenim supra dicti homines vitiorum omnium torrente lumen naturae praefocant, propriamque depravant rationem, atque his inde lethifera morum succedit corruptio. Hinc de Religione jocantur: ejus Ministros veluti homines ex fraude concretos traducunt: Ecclesiasticam hierarchiam vilipendunt: Superioribus obedientiam negant; verbo, Deo omnipotenti calumniari non verentur, & adversus eum contendere, quin unquam impiae servitutis jugo neglecto, veritatem inquirant, legique naturae consulant: Sed pejus, suorum malorum habituum potentiae subjecti, virtuti renuntiant, nihilque aliud praeter vitia quae ipsis cara sunt, recognoscere profitentur. Quae cum ita

sint,

sint, nonnisi insanum vanumque foret cum Atheis ejusmodi velitari: hi enim instructionem potius super prima rationis Religionisque principia efflagitant nedum exposcunt, quam disputationem. Solum auspicamur ipsis a Patre Luminum, ut tandem aliquando propriam dignitatem agnoscentes, rectam honorent rationem, sciantque simul, quod in Religionis negotio non Incredulorum dictis standum, sed invictissimis rationibus, queis Religio ipsa firmata semper fuit, hodieque roboratur. Cum Atheis igitur secundi generis qui ratiocinantur restat nobis certandum; sed quibus armis? sola ratione, utpote qui omnem auctoritatem contemnunt. Tunc optima est pugna, cum inimicus proprio confoditur ense.

C A P U T III.

IN QUO DE MATERIALISMO AGITUR.

I. *Materialistarum systema exponitur*. II. *Ejus fautores recensentur*. III. *Materialismus debellatur*. IV. *Conatus inutiles cujusdam Premontval dicti*. V. *Nihil Politichistae, aliique Increduli suis momentis proficiunt*.

I.

INter Atheos itaque theoreticos qui ratiocinantur, principem tenent locum Materialistae & Pan-

& Pantheiſtae (Cap. I. n. III.). Nos de primis heic agimus, de ſecundis infra loquuturi. Materialiſtae ii omnes dicuntur qui cuncta Mundi hujus Entia materialia volunt atque defendunt. Scilicet ita ratiocinantur ejusmodi homines:

I. Tritum eſt vetuſtate Principium: *ex nihilo nihil fit*: ergo hujus Mundi materia increata eſt, aeterna, atque a se:

Nam ſi de nihilo fierent, ex omnibus rebus
Omne genus naſci poſſet &c. (*a*).

II. Materia haec quia a ſe, motum ab aeterno habuit, atque ideo Chaos formavit.

III. Ex Chao, variis accedentibus atomorum combinationibus caſu factis, & diverſimode transformatis, Mundus hic adſpectabilis cum omnibus Entibus ipſum componentibus exiit: aeterna ergo Mundi materia eſt, fortuita ejus forma, figura, ordo; ſimulque ſicuti caſu formatus Mundus, ita fortuito ſolvi poteſt juxta poſſibiles atomorum combinationes. Etenim

Maria ac Terras Coelumque . . . . .
Una dies dabit exitio, multoſque per annos
Suſtentata ruet moles & machina Mundi
. . . Dictis dabit ipſa fidem res
Forſitan, & graviter terrarum motibus Orbis
Omnia conquaſſari in parvo tempore cernes (*b*).

Pura igitur materia ſunt homines, purior ac ſubtilior materiae ejuſdem pars eorum Animae.

Ideae

(a) *Lucretius lib. I. de rerum natura.*
(b) *Idem lib.* V. 93. 96. 97. 105.

Ideae autem nostrae judicia, ratiocinia, cogitationesque omnes purae sunt subtilioris dictae materiae figurae, modificationes, motus. Post mortem actum est de nobis, periimus toti: nullum itaque est spirituale Ens, nullus Deus. Haec Materialistarum doctrinae summa, hic sensus.

II.

Materialistarum sicuti stultorum permagnus est numerus. Et ut a remotioribus populis incipiamus, penes Sadducaeos olim materialismum viguisse, Joseph testatur (*a*). Idipsum de Graecis autumandum, inter quos illud praecipue patrocinati sunt Leucippus (*b*), Democritus (*c*), Epicurus (*d*) qui Materialistarum Parens censetur communiter, aliique ex eorum schola. A Graecis in Romanos transiit error hujusmodi, cujus fautores obsignantur Lucretius (*e*), Horatius (*f*), Petronius (*g*), aliique.

Verum nulla alia Mundi aetate quam hac nostra, sectatores fautoresque habuit acerrimos Materialistarum systema. Vel ab ipsis currentis Sae-

(a) *Antiquit. Judaic. lib.* 1.
(b) *Baelius Dict. v. Leucip.*
(c) *Stanley de Atomist.*
(d) *Gassendus in Opere Epicuri.*
(e) *Opere citato.*
(f) *Lib.* 1. *Odarum.*
(g) *In suo Opere.*

Saeculi incunabilis magna Incredulorum colluvies illud pene mortuum e cineribus suscitavit, certatim inter se contendentium quis eorum melius idem patrocinaretur atque ubique disseminaret. Montagne [*a*], Helvetius [*b*], de S. Evremontio [*c*], d'Argens [*d*], inter hos sedem habent suam. Principes vero si quaeras, in promptu sunt; Thomas Hobbes [*e*], l'Ametrie [*f*], Joannes Tolandus [*g*], Gildonus [*h*], Antonius Collinsius [*i*], Charp [*k*], Mirabaud [*l*], aliique plures, & de quibus alibi.

III.

Sed tempus est ut expositum Materialistarum systema confundamus. Ad 1. itaque cum distinctione reponimus. *Ex nihilo nihil fit*, h. e. aliquid non eruitur ex nihilo veluti ex causa materiali, concedo antecedens; nequit fieri ex nihilo aliquid, subdistinguo

[a] *Essais lib. 3. chap. 9.*
[b] *L'esprit disc. 3. chap. 9.*
[c] *Tom. 3. pag. 9.*
[d] *La Philosoph. du bon sens tom. 2. reflex. 3.*
[e] *Leviathan cap. 12.*
[f] *L'Homme machine.*
[g] *Apud Fayum defens. Relig. P. 1. cap. 24.*
[h] *Oracles de la Raison.*
[i] *Bibl. Choisie tom. 26. p. 2.*
[k] *Hist. naturelle de l'Ame.*
[l] *Systeme de la Nature.*

guo, respectu Agentis finita virtute praediti, concedo, respectu Agentis infinita potestate donati, nego antecedens & consequentiam. Debile admodum atque infirmum fundamentum hocce est, supra quod Materialistae suum construunt aedificium, ut ad illud conterendum non est quod multum ingenia nostra laborent atque exsudent. Ex nihilo hinc non fieri aliquid, vel erui posse tanquam ex sua causa ultro concedimus, cum nemo det quod non habet, & nihil nullius rei possit esse causa. Idipsum quoque dicendum si principium illud: *ex nihilo nihil fit* respectu Agentis finiti, limitati, atque ab alio pendentis consideretur: hoc ipso namque quod Agens hujusmodi non est a se, sed ab alio; sicuti propriae existentiae non est causa, ita nec aliorum Entium talis causa esse potest. Secus autem loquendum si laudatum principium respectu Agentis infiniti, atque a se consideretur, cum hoc in casu ex nihilo fieri aliquid peroptime possit, quin contradictio aliqua inde sequatur. Hoc enim Ens cum adaequatam in se & propriae existentiae & aliorum Entium rationem amplectatur, simulque perfectissimum sit, potentia infinita donatur quoque ad hoc, ut innumeras substantias valeat ex nihilo creare. Nec prodest Materialistis reponere, responsum hoc nostrum *principii petitione* laborare, omnipotentem scilicet Causam supponendo, de qua in praesentia velitatur. Etenim Causam hanc in Mundo adesse ex modo dicendis patebit invictissime: immerito igitur Mundi hujus materia increata adseritur, aeterna, atque a se.

Ma-

Materia, opponit Baelius (*a*), ex nihilo creata nequit concipi : quicunque enim fiat intellectus conatus, concipi nequit id in realem converti ſubſtantiam, quod prius nihil erat. Principium illud Veterum : *ex nihilo nihil fit* illico noſtrae imaginationi objicitur.

Reſp. Jocularem se praebet Baelius dum ita ratiocinatur. Etenim *primo* eodem in Articulo quo Spinoſae evertit ſyſtema, hanc nobis exhibet objectionem : *ſecundo* quia nequit imaginatio noſtra ſibi ideam creationis efformare, creationem ipſam e medio tollit, materiam aeternam ac increatam pronunciando. Concedimus hinc libentiſſime, noſtram phantaſiam utcunque conetur concipere haud poſſe materiam ex nihilo creatam, ſed defendimus ſimul hac non obſtante phantaſiae noſtrae impotentia, creationem nullimode repugnare. „Quid unquam repugnat, cum „ dicimus, rem quae antea non erat, incoepiſſe „ eſſe poſtea? Multum intereſt inter illum lo„ quendi modum, & hunc : *res aliqua eodem* „ *tempore exiſtit ſimul & non*. In hoc ſecundo „ directa & formalis contradictio reperitur ; in „ primo autem contradictio nec directa nec in„ directa adeſt. Verum quidem eſt, nos cum „ ſoleamus non intueri niſi res, quae per gene„ rationem in Mundo veniunt, vel alias quae „ per corruptionem pereunt ; cumque nullam „ creationem viderimus, conſueſcimus creationis

„ ideam

(a) *Dict. Crit. Art. Spinoſa Rem. O.*

„ ideam similem nobis effingere ideae formatio„ nis. Quamobrem imaginamur, sicuti omnis „ formatio materiam supponit, quae prius exi„ stat, ita nos existimare, etiam in creatione, „ licet in ea non sit, materiam aliquam antea „ existere, ex qua tanquam ex vera materia „ res creatae eductae sint. Concedo, hanc no„ tionem magnam praeseferre contradictionis spe„ ciem. Sed quis non videt, nihil aliud esse „ hanc, quam puram putamque idearum confu„ sionem? Accidit in hac re, quod pueris eve„ nit, qui imaginantur, tenebras esse quid rea„ le, quod mane lux exoriens expellat, quod„ que in lucem transformetur. Ut vera creatio„ nis habeatur idea, non eam sibi effingere opor„ tet (uti praestat Baelius) tanquam formatio„ nem alicujus rei ex nihilo eductae, considerato „ veluti causa materiali. Creare est existentiam „ dare rei, quae prius illam non habebat; hoc „ est efficere ut aliqua res existat, quae prius „ non existebat. Quemcunque hominem adpello, „ ut mihi in hac idea contradictionem osten„ dat„. Haec Clarkius & egregie (a).

Idea *Chaos*, instant materiae aeternae patroni, ex quo fuit inde Mundus formatus, vetustissima inter Philosophos est atque Poetas. Hujus namque memorat Hesiodus dum ait (b): *Primo omnium*

(a) *De l'existence de Dieu. Chap. XI.*
(b) *In sua Theogonia v. 116.*

omnium quidem Chaos fuit; Ovidius concinens (*a*):

Ante mare & terras, & quod tegit omnia, Coelum,
Unus erat toto naturae vultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis indigeſtaque moles;

nec non Ariſtophanes cum loquitur (*b*) : *Chaos & nox primum erat, atque Erebus nigrans, & tartarus ingens.*

Reſp. Chaologorum doctrinam perantiquiſſimam remur & nos, quin inde tamen materiae aeternitatem evincant Oppoſitores, utpote quae Coſmogoniae Moſaicae adamuſſim conformis. Narrat enim ſacer Scriptor Moſes [*c*], creaſſe Deum in principio Coelum & terram *inanem* & *vacuam*, ſeu ut aliis placet *inviſam* & *informem*, h. e. nullo luſtratam lumine, nulloque formatam ordine; atque hinc factum, quod Poetae ut illius telluris ſtatus notionem aliquam in ſuis exhiberent carminibus, quam Philoſophi materiam dixere informem, *Chaos* ſunt ipſi eloquuti. Ita Heſiodi, Ovidii, aliorumque Chaologorum mentem expromit doctiſſimus Huetius [*d*]. Interpretationem inſuper hanc amplexati ſunt Albinus Flaccus, Beda, S. Iſidorus Hiſpalenſis [*e*], aliique plures. Atqui, ratiocinari ſequimur, a Deo

F creata

(a) *Metamorph.* 1.
(b) *In Avibus apud Suidam.*
(c) *Geneſ. cap.* 1.
(d) *Alnet. qq. lib.* 2. *cap.* 5.
(e) *De differentiis lib.* 1. *cap.* 9.

creata est terra inanis & vacua, invisa & informis: creatum est igitur etiam *Chaos* a Poetis, aliisque memoratum. Ad rem hinc Augustinus [*a*]: „Pri„ ma ergo materia facta est confusa & informis, „ unde omnia fierent, quae distincta atque for„ mata sunt, quod credo a Graecis *Chaos* appel„ lari. Sic enim & alio loco legimus dictum „ in laudibus Dei: Qui fecisti Mundum de ma„ teria informi. Quod aliqui Codices habent de „ materia invisa „.

Ens spirituale [Deus scilicet], inquit Mirabaud [*b*] nequit agere in materiam, cum inter utramque substantiam nullus contactus, nulla analogia reperiatur; ideoque materia aeterna est adstruenda.

Huic difficultati respondet Hollandus [*c*]. Si nihil experientia scimus quomodo corpus aliquod in aliud corpus agere possit, pariter nihil ipsa scimus circa objectum istud. Si Auctor scit, Philosophi omnes cum gratiarum actione ipsum auscultabunt ut discant. Scimus equidem unum corpus posse aliud tangere, atque ex hoc contactu motum haberi in aliud corpus. Sed postulo, num aliquam analogiae speciem noscas inter ideam contactus & ideam actionis? . . Verum allatum responsum probare nequimus. Cum distinctione ita-

---

(a) *Lib.* 1. *de Genesi contra Manich. cap.* 5.
(b) *Systeme de la Nature. Primiere Partie, Chap.* 2.
(c) *Reflexions Philosop. Prem. Part. Chap.* 2.

itaque difficultati reponimus. *Ens spirituale nequit agere in materiam*, physice & per contactum, concedo, virtualiter ac potentialiter, nego. Deus igitur spirituale Ens dum Mundum hunc visibilem condidit, per suam potentiam infinitam atque virtutem in materiam egit, atque operatus est. Inconceptibilis est hic operandi modus, sed illum denegare nefas; ideoque gratis materia aeterna, increata, atque a se adseritur.

Ad II. Verba absque limite fundunt Epicurei materialistae, & novissime Tolandus cum Mirabaud, dum materiam quia a se, ut ipsi effutiunt, motam ab aeterno dicunt, ex qua inde emersit Chaos. Siquidem nec materiam esse a se satis superque probavimus, nec motus causam primam esse ita ratiocinamur. Rerum essentialia ea a Philosophis dicuntur, sine quibus concipi res ipsae nequeunt: atqui materia, sive corpora absque motu concipiuntur: ea namque tandiu quiescere observamus, donec ab externa causa ad motum non determinantur, cui etiam suis pro viribus resistunt, ne quietis statum mutent: non est ergo motus de essentia materiae. Deinde si motus essentialis materiae foret, esset quoque ab ipsa inseparabilis, semper in eodem gradu in qualibet etiam materiae ejusdem particula servaretur, incommunicabilis foret, non posset augeri, vel minui, nec materia ipsa quiescens posset concipi: sed haec omnia in materia, seu corporibus haud conspicimus experientia teste: dicendum ergo, motum frustra materiae veluti essentialem ejus proprietatem adsciscit. Nec

objicere juvat, id verificari tantum de singulis corporibus disjunctive sumtis, non vero de tota materia collective spectata. Nam vel ipsismet Logicae Tironibus edocentibus: Quidquid verificatur de singulis disjunctive acceptis in materia necessaria, verificatur etiam de omnibus collective spectatis. Ita quia de singulis hominibus animalitas & rationalitas praedicantur; praedicantur etiam de omnibus hominibus simul consideratis: Similiter quia singulis corporibus motus essentialiter non convenit, nec convenit etiam omnibus corporibus, omnique materiae simul sumtae.

Materia, opponit Tolandus (a) si non actu ad motum tendit, propensionem saltem ad ipsum habet, quam *nisum* adpellat.

Resp. Vel materia, seu corpus, quaerimus ab Adversario, per hunc *nisum* ad aliquam loci partem determinatam tendit, vel ad quamlibet indeterminate. Nihil est medii. Si primum vult Tolandus, experientiae refragatur, cum corpora, indifferentia omnino sint ad quamlibet loci partem: nihil enim in ipsis est, vel eorum partibus, quod illa valeat ad hanc potius, quam aliam loci partem determinare. Si secundum, actum est jam de ejus causa: tendentia enim ad quamlibet loci partem, nonnisi sempiternam partium omnium quietem potest in corpore gignere.

(a) *Lettr.* 3. *a Serena*.

re. Praeclare hinc Cardinalis de Polignac cecinit [*a*]:

Si nativus erit per sese in corpore motus,
Ut dos materiae; qualis, quantusve, rogabo:
Quam versus mundi partem? lentusve? citusve?
Rectus? an obliquus? forsan curvatus in orbem?
Nam cuncti esse simul nequeunt: unum esse necesse est.
Si talem aut talem dicas, alium esse repugnat.
Nam secus esse nequit, natura quod ipsa poposcit.
Sed motus nullae species cum corpore pugnant.
Cur ergo hanc per se prae cunctis corpus habebit;
A quo jure aliam per se cum possit habere?
Hanc etiam, si per se habeat, variare nequibit:
Nam quod naturae est, nulla est variabile causa.
Sed motum semper variari posse videmus:
Ergo materiae nativum haud esse fatendum est.

Corpus, urget Spinosa [*b*], motum vel quiescens, ad motum, vel quietem determinari debuit

[a] *In Anti-Lucretio lib.* 5.
(b) *Eth. Part. II. prop.* 13. *Lem.* 3.

buit ab alio corpore, quod etiam ad motum, vel quietem determinatum fuit ab alio; & sic in infinitum.

Resp. Infinitam causarum seriem absque prima Causa, cui reliquae omnes subordinentur, repugnare penitus in Ontologia probavimus, ubi de Causis sumus eloquuti. Praeterea dicat nobis, quaeso, Spinosa: cur primum illud corpus debuit ab alio corpore ad motum determinari? si Philosophus nominari exoptat, respondebit indubie; quia natura sua iners est. Bene. Iterum quaerimus: cur in secundo corpore desideratur quoque eadem determinatio? quia natura sua iners est. Optime. Quaerimus tandem: si idipsum de singulis diceremus corporibus, mutareturne eorum essentia? Absit omnino: singula ergo corpora inertia erunt. Igitur admisso etiam causarum in infinitum processu, si cuncta erunt corpora, cuncta erunt inertia. Aliud est ergo motus principium, non materiale quidem nec corporeum, sed spirituale totum. Si hoc, quanam ratione possit materia iners ac plane mortua producere *Chaos*, non intelligo.

Ad III. Quaenam sint hae tam prodigiosae atomi Mundi hujus adspectabilis causa, non tam facile concipio. Me non latet quidem quod *atomos* graece idem latine sonat ac *indivisibile*; simulque quod Atomistarum doctrina huc redit. Moscus Phoenicius, Leucippus, & Democritus omnium primi atomorum notitiam inter suos Auditores disseminarunt: horum autem corpusculorum quaedam laevia dixerunt, alia aspera, ro-

rotunda

tunda alia, partim autem angulata, curvata quaedam & quasi adunca. Haec insuper corpuscula, seu atomi in vacuo infinito Democritus locavit, in quo ab aeterno motae uniuntur, inter se adhaerescunt, & per hanc unionem, atque concursum fortuitum quidem, effectus est Mundus quem intuemur. Ast quam absurda atque delira isthaec sit Atomistarum adsertio luce meridiana patet. Revera si hae atomi corpuscula dicuntur solida ac impenetrabilia, eadem erunt sane ut corpora reliqua; cum nulla sit ratio, per quam diversum de utrisque sit judicium efformandum: atqui singula Mundi hujus corpora haud ex se moventur, sed indifferentia omnino sunt ad motum & quietem, ut quotidiana nos edocet experientia, & supra probavimus: idipsum ergo de atomis dicendum quoque sana ratio praescribit. Sed liberaliter cum Atomistis agamus, permittendo eis corpuscula haec motu aliquo cieri, quod non probabunt in aeternum. Hic certe motus a motu aliorum corporum non differret, secus namque esset suo arbitrio opinari: moventur itaque atomi sicuti corpora cetera per lineam rectam: sed per motum hunc nihil prorsus emolumenti Atomistae adipiscuntur. Enimvero sicuti lineae parallelae quocunque protractae nunquam uniuntur; ita etiam atomi nunquam cohaerebunt ad hoc formandum Universum.

Respondet Epicurus doctrinae atomorum illustrator: atomum dum vi proprii ponderis deorsum fertur, declinare paullulum.

Resp. Verum „quae erit, inquit Tullius (*a*), „ nova haec causa in natura, quae declinet atomum? aut num sortiuntur inter se, quae declinet, quae non? aut cur minimo declinent intervallo, majore non? aut cur declinent uno minimo, non declinent duobus, aut tribus? optare hoc quidem est, non disputare. Nam neque extrinsecus impulsam atomum loco moveri & declinare dicis: neque in illo inani, per quod feratur atomus, quidquam fuisse causae, cur ea non e regione ferretur: nec in ipsa atomo mutationis aliquid factum est, quamobrem naturalem sui ponderis motum non teneret. Ita cum attulisset nullam causam (Epicurus), quae istam declinationem efficeret: tamen aliquid sibi dicere videtur; cum id dicat, quod omnium mentes aspernentur ac respuant„.

Insuper si fortuitus atomorum concursus, materia, sive natura Mundum hunc visibilem produxit, plantas nimirum, bruta, homines &c. eccur his similia non producit hodie, nec produxit Patrum nostrorum tempore? Natura igitur mutata est? Cur hae atomi quae olim tot mirabilia effecerunt, non uniuntur hodie atque adhaerescunt ad corpus aliquod organicum efformandum? . . Lucretius & L'Ametrie reponunt: haec nostra bona Parens [Natura] in senectute est, atque gallinae assimilatur, quae ova amplius non

(a) *Lib. de Fato n.* 20.

non enititur. Natura, ait Lucretius, quae aliis temporibus Elephantes produxit, sic hodie viribus destituta est, ut vix abjectissima producat animalcula. Quis scit, subjungit Mirabaud (*a*), an natura occupetur hodie ad novas generationes producendas, quod hominum lateat observationes? omne in Mundo mutatur continue: natura destruit & reproducit, combinat & dissolvit ... Needham experientia probat, posse materiam inanimatam ad vitam transire motus interni adjumento .. Verum nimis gloriose de seipsis sentiunt Lucretius, l' Ametrie & Mirabaud, dum ita opinantur: supponunt enim ipsis tantum notas esse Naturae vires, omnibusque aliis ignotas: ut factum sumunt quod nunquam accidit, quodque nunquam eveniet stante rerum ordine, quem intuemur, & quod Materialistae non probabunt in aeternum. Mutationes insuper omnes quae nobis Natura alicubi exhibet, ut recessus maris a suis oris, montium humiliatio, ignivomorum nova productio &c. totidem sunt ejusdem constitutionis confectaria, quae Philosophos minime, vel parum occupant, utpote cum Natura ipsa necessario conjuncta. Quod tandem Needham spectat experientiam, dicimus eam nimis probare, ideoque nihil probare, Enthusiasmus erga moleculas organicas Needham phantasiae exhibuit in vase cibis, farina, aliove pleno, quod Musschenbroekius non deprehendit. Vidit primus in vase micro-

[a] *Cap. 6. de l' Homme.*

microscopii ope quaedam corpuscula rotunda, quae nunc divisa, nunc unita erant, simulque in vase natantia: nihil observavit secundus, quamvis ille in vase aeri exposito, hic vero in vase clauso experimentum effecerit. Accidit circa corpora organica, quod circum animalia spermatica evenit. Aliquis Physicorum vidit, aliquis non, juxta proprii systematis principia. Ceterum si haec corpuscula in fluidis natantia dicere velimus *animalia*, etiam *animale* dicemus pulverem, quae inter Solis radios praesertim continue circumagitur. Quo sane nihil absurdius.

Et quoniam diruto fundamento, superimposita labantur aedificia necesse est, apertissime nunc patet, quam temere immeritoque Materialistae Mundi hujus materiam aeternam dicant, fortuitam ejus formam, simulque homines, eorumque animos inter varias materiae modificationes statuant, quasi materia iners ac plane mortua tanta polleret vi, ut res tam miras efficere valeret. Suo enim loco ostendemus, cogitationem ne quidem imaginando posse materiae convenire, ubi etiam Materialistas fortius perstringemus.

IV.

Sed amentiam atque delirium cujusdam Premontval Berolini Academicum se jactitantis mirari non desinam, dum in quodam suo Opere gallice *Vues Philosophiques* inscripto, Mundum hunc visibilem opus atomorum fortuitum esse posse temere suadere conatur, ea ferme ratione, qua Vir-

Virgilii Aeneadae, ut idem effutit, ab infinitis atque infinitis litterarum Alphabeti jactibus queunt formari. Ejus autem huc redit ratiocinatio. Binas Alphabeti litteras A & R in urnam pono, qua parumper circumducta, ut e foramine urnae sigillatim exeant, sino: & quoniam hae binae litterae duas tantum collationes important, dabunt mihi indubie vel syllabam AR, vel RA: ut autem quod quaero obtineam, sponsionem facio, sortem mihi dare syllabam AR, quae prima Aeneadum est, si per decies centena mille vices litterae A & R e urna jaciantur: mirum namque foret in tot jactibus nunquam syllabam AR obtineri.

Quatuor nunc litteras primi Aeneadum verbi ARMA sumamus, quae vigintiquatuor diversis modis queunt uniri: circumagamus hinc eas in urna, simulque e ipsa jaciantur; possum cum aliquo fundamento confidere, quod per decies centena mille litterarum jactus saltem aliquando verbum ARMA consequar. Accipiamus insuper duodecim litteras *Arma Virumque*, quae combinari simul possunt quasi per vices millies mille millia diversimode: sed hac non obstante diversa litterarum unione, per infinitos litterarum jactus, id consequi posse mihi suadeo, quod chimericum antea videbatur. Agitur tandem de toto versu: *Arma virumque cano Trojae qui primus ab oris*; sive de totis Aeneadis: verum per infinitos ac infinitos litterarum Alphabeti jactus, mirum haud foret, sortem Aeneadas efformare: si igitur ab aeterno id dicamus effectum, infinita adesset probabi-

babilitas, sive summa certitudo, sortem Aeneadas perfecisse. Idipsum quoque de Mundo hoc adspectabili dicendum respectu fortuiti atomorum concursus.

Resp. Berolini Academicus Premontval ingenio plus laborare videtur, dum ita ineptissime ratiocinatur. Etenim pro certo supponit, sortem Virgilii Aeneadas efficere potuisse, si ab aeterno Alphabeticae litterae in infinita ac infinita quantitate fuissent conjectae, ubi non agitur nisi de sola syllaba AR, quae etiam per decies centena mille jactus possibile est ut non habeatur. Si enim deficere potest in primo, secundo, & tertio jactu, ita potest etiam semper desiderari. Et permisso syllabam hanc tandem aliquando obtineri: ergo idipsum dicendum de quatuor & duodecim ejusdem Aeneadum versus litteris, nego absolute. Si namque quatuor primi verbi litterae ARMA vigintiquatuor diversas collationes habent, quot habebunt duodecim primae litterae Aeneadum: quot triginta septem, quae primum solummodo versum componunt? Poteritne Premontval eas numerare? quot tandem diversis modis uniri poterunt decem mille versus, queis totae Aeneadae conscriptae sunt? Jaciantur itaque in tota aeternitate tot litterae, quot ad formandas Aeneadas requiruntur, infiniti adessent jactus nihil aliud quam inordinatum Chaos ac confusionem exhibentes: in his vix paucae viderentur syllabae integrae, paucissima verba semiformata, innumera vero manca, verbo omne in magna confusione intueretur. Pariformiter admisso atomorum

morum fortuito concursu pro causa efficiente Universi hujus, infinitae adessent combinationes inordinatum Chaos expromentes: viderentur indubie Entia partim animalia, partim lignea, vel saxea; vultus sine oculis, capita sine membris, aliaque hujusmodi monstra prorsus inaudita. Tandem sicuti in hypothesi fortuitae Aeneadum formationis ab infinita litterarum jactatione, Aeneadae ipsae illico evanescerent, ratione nimirum continui jactatus, quo medio Aeneadum ordo subsistere non valeret; ita quoque permisso liberaliter, potuisse atomos Mundum hunc efficere, Mundus ipse suo in statu permanere haud posset; cum enim concursus atomorum sit perennis, ejusmodi foret quoque ejus mutatio. Sed has Premontval ineptias linguamus, cum me pudeat in his morari amplius. Tantum igitur abest ut Universum hoc visibile opus sit fortuitum in Atomistarum, aliorumque sensu, ut potius supremam Dei potentiam, quam vilissima etiam Mundi hujus proclamant, apertissime manifestet. Qui ergo ita temere de Mundi loquuntur nativitate, nunquam admirabilem Coelorum ornatum, constantes Planetarum motus, mirificam animalium texturam suspexisse videntur.

V.

Hucusque adversus Atheos materialistas egisse sufficiat, nunc contra Politichistas, aliosque Incredulos arma vertamus. Et primo notandum, quod licet Politicorum, aliorumque deliramenta

ex Materialistarum doctrinae confutatione satis superque exarata evanescant extemplo, ratione nimirum maximae pendentiae, quam hi ab illis indubie recognoscunt; tamen ut nullus Atheis remaneat refugii locus, horum pariter solvamus momenta, necesse est. Ajunt itaque Politichistae, supremi Numinis Dei ideam a Legumlatorum astutia & calliditate primo exortam, ut magis magisque subjectos populos, quorum proprium est semper libertatem clamare, nulloque libentissime subjici imperio, in obsequio continerent.

Resp. Fucum sibi faciunt Politichistae dum talia objiciunt. Ecquis enim fuit, dicant nobis quaeso, politicus ille homo, qui hanc Dei ideam primum inter homines suscitavit, ut in obsequio subjectos populos contineret? Quisnam fuit Legumlator ille, qui hoc magnum erexit Divinitatis simulacrum, simulque suis imperavit populis, ut ad terram se prosternerent, illudque adorarent? In quanam Orbis parte dominium exercuit suum? quanam tandem vixit Mundi aetate? Vel etiam monstrent nobis quinam fuerint tam fatui populi, penes quos Legumlatores hanc callide disseminarunt supremi Numinis notitiam? Ut verum fatear, quo remotiores contemplor Nationes, eo religiosiores ac etiam superstitiosiores quoad Deorum cultum adinvenio. Hinc cum Politichistae nostris interrogationibus obmutescant penitus, dicendum restat, eorum adserta inter fabulas esse accensenda. Deinde concesso etiam, Politichistas nostris satisfacere interrogationibus, adhuc ab ipsis praestolamur: A quonam primus

ille callidus Legumlator Divinitatis ideam accepit? Certe tradita ipsi ab alio fuit priusquam aliis ipse communicaret; ideoque deceptus, antequam deciperet alios. Jam vero quaerimus: quis eum decepit? dicet indubie Politichista: Parentes ejus. Admitto, atque iterum postulo: quisnam Parentes dictos elusit?.. Non reponunt Politichistae, & quamvis reponant, nunquam interrogare desistam, donec facti hujus originem recognoscam, Agnosce igitur, misere Politichista, errorem tuum, illum depone, & si ingenuus esse velis, delirium tuum fateare.

Malum, opponit Mirabaud (*a*), homini necessarium est: absque malo enim nec bonum agnosceret, nec ab insensibilibus rebus differret, ideoque nec homo foret. Si nihil mali fuisset in Mundo, nunquam homo ad Divinitatis pervenisset notionem. Divinitatis idea inter lacrymas atque miserias exorta est. Homo plus ignorat, plus timet. Majores nostri quibus Naturae phoenomena ignota erant, tonitruum praesertim, aliorumque phoenomenorum novitate perterriti, oculos lacrymis plenos ad Coelum elevarunt, simulque Ens aliquod extra Naturam adesse dixerunt, quod Naturae ipsae praesit: timor igitur atque ignorantia phoenomenorum aeris primum Dei notitiam inter homines excitavit, juxta Petronii illud (*b*);

Pri-

(a) *Ibid. Partie Seconde Chap.* I.
(b) *In Fragm. pag. 676. Edit. Burman.*

Primus in Orbe Deos fecit timor....

Resp. Optaremus ut Adversarius noster aliquod tempus nobis constituat, quo inter homines ex tonitruis, fulgoribus, aliisque calamitatibus Divinitatis notio sit primum excitata. In rebus enim magni momenti, cujusmodi est Dei idea, primo captivandus est intellectus, & postea fides exigenda. Praeter quam quod impossibile videtur, ut omnes in unam eamdemque notionem ex tonitru, aliove phoenomeno venirent, nisi prius animo informatam quamcunque haberent Divinitatis ideam. Nulla enim, quicunque fiat intellectus conatus, cognitio illius rei haberi potest, cujus idea nos penitus latet. Deinde concesso etiam barbaros atque ignaros homines tonitruis, aliisve phoenomenis excitatos, supremum Numen extra Naturam adesse, quod Naturae ipsae praesit, judicaverint; quid Atheorum causae accedet? nihil aliud sane, quam si dicamus, posse homines ex intuitione, contemplationeque hujus Universi, atque phoenomenorum quae in ipso conspiciuntur, in Divinitatis pervenire cognitionem.

Scio equidem Mirabaud saepe saepius repetere ore rotundo, Naturae ignorantiam Diis nativitatem dedisse, Naturae cognitionem Deos tollere. Immo, respondeo, Naturae cognitio Dei firmat roboratque existentiam; Naturae vero ignorantia vel subsannat, vel simpliciter fatetur. *Certissimum est*, ait Baco da Verulamio (*a*), *atque experientia*

---

[a] *De augm. Scient. Lib.* I.

tia comprobatum, leves gustus in Philosophia movere fortasse ad atheismum, sed pleniores haustus ad Religionem reducere. Quot erga Divinitatem ipsam nobis non suppeditant validissima argumenta immortalis Newton, Musschenbroekius, Buffon, Bonnet, aliique Naturae scrutatores acutissimi? Solum Mirabaud dicamus oportet cum aliis ejusdem farinae hominibus, quaedam Naturae secreta novisse, quae caeteris omnibus nobilioris & acûtioris ingenii fuere incognita!

Deducendum 1. ex dictis, materiam aeternam haud esse, increatam, atque a se, immo contingentem, inertem, ac plane mortuam; simulque motum necessarium esse quidem in Natura, sed non materiae essentialem. 2. Creationem possibilem tantum esse respectu Agentis infinita potentia praediti, quamvis creationis modus nos penitus lateat. 3. Universum hoc visibile opus atomorum fortuitum minime esse posse, secus ac Epicurei contendunt.

CAPUT IV.

PRAECIPUA DEI ATTRIBUTA EXPLICANTUR.

I. *Deum esse necessarium atque independentem.* II. *Aeternum.* III. *Infinite perfectum.* IV. *Immensum.* V. *Immutabilem.* VI. *Omnipotentem.* VII. *Veracem.* VIII. *Bonum.* IX. *Justum.* X. *Sanctum.* XI. *Ineffabilem.*

I.

Existit ergo, ut ex dictis Cap. praec. infertur, Ens aliquod supremum, quod Mundum hunc adspectabilem e nihilo creaverit, quodque terrena omnia, & coelestia sapientissimo regat consilio atque gubernet; ejusmodi est Deus O. M. Nunc ea exponemus Attributa praecipua, quae Dei ipsius essentiam immediate respiciunt. Est autem primo Deus Ens necessarium atque independens: necessarium quidem, cum rationem sufficientem tam sui ipsius, quam aliorum entium in se continere debeat, quae in Mundo sunt; quaeque nonnisi contingenter existunt, ut satis superque ratiocinando probavimus. Contingentia enim cum potuerint non existere, opus idcirco habent Ente necessario, in quo ratio sufficiens eorum existentiae contineatur, quodque princeps eorundem Cau-

Causa existat. Independens vero, quia si penderet ab alio, non foret amplius necessarium sed contingens, & in alio propriae existentiae rationem sufficientem haberet: sed absoluta gaudet necessitate: ergo est etiam a se, atque independens.

II.

Deus est aeternus, h. e. principio & fine caret. Hac enim ablata aeternitate, non foret amplius Ens absolute necessarium, sed contingens prorsus, cum absoluta necessitas ei non conveniat Enti, quod potuit aliquando de non esse ad esse transire, & ab esse ad non esse transire valet: est ergo Deus aeternus quia necessarius.

III.

Est Deus infinite perfectus, in omni scilicet genere perfectionis. Sane quod aeternum, necessarium atque independens est, simulque in seipso tum propriae cum aliorum existentiae rationem sufficientem continet, a nullo alio Principio vel limitari potest, vel perfectionem aliquam accipere: nulla igitur perfectio potest deesse Enti quod est independens atque a se, cujusmodi est Deus [n. I.].

IV.

Deum esse immensum, sive ubique diffusum nedum quoad potentiam, verum & quoad praesentiam, & substantiam sic probatur. Quo major est limitatio, eo major est imperfectio: pariter quo major est illimitatio, eo major est perfectio: atqui Deus est infinite perfectus, in omni scilicet genere perfectionis [n. III.]: igitur summa ac infinita donatur quoque immensitate. Insuper ubicunque est Dei potentia, est & substantia seu essentia: Potentia Dei est ubique: ergo ubique est & substantia sive essentia.

V.

Immutabilitate gaudet quoque Deus. Quod enim mutatur vel transit de meliori in deterius, vel a deteriori in melius: hoc autem in Deo nequit habere locum, utpote essentialiter perfectissimo [n. III.]: Deus ergo immutabilis est. Metaphorice hinc sunt accipiendae quae de Deo praedicantur affectiones irae, poenitentiae &c., ut Theologi docent.

VI.

Omnipotens est Deus. Omnia enim efficere, potest, cum a nullo limitari possit in suis operationibus, utpote necessarius & independens (n. I.), infiniteque perfectus (n. III.). Nec po-

potentia haec minuitur parum, ex quo plura nequeant fieri a Deo, ut res praeterita non fuerit, bis quatuor non ſint octo, evertere naturas rerum &c.: haec enim omnia non habent rationem factibilis, ideoque nequeunt a Deo fieri, qui ſemper circa poſſibilia occupatur.

VII.

Deus ſummam poſſidet veracitatem, qua nec falli, nec fallere poteſt. Eſt ſiquidem Deus eſſentialiter perfectiſſimus in omni genere perfectionis [n. 111.]: falli autem vel fallere poſſe maximam ſapit imperfectionem, cum malitiam, mendacium, ac deceptionem importet: igitur ſumma etiam veracitate pollet, qua nec falli, nec fallere poteſt.

VIII.

Deus bonus eſt. Excludit enim Deus a ſua natura quamlibet imperfectionem, quemlibet defectum, omnemque rationem mali [n. praec.]; ſimulque omnes poſſibiles in ſe habet perfectiones [n. 111.]: ergo ſumme infiniteque bonus ſit, neceſſe eſt.

IX.

Eſt in Deo ſumma juſtitia, accepta nimirum pro rectitudine voluntatis exequentis quod bonum rectumque eſt. Deus namque cum ex dictis ſit

Ens perfectiſſimum, perfectiſſimam, ſumme bonam ac rectam voluntatem habet, quae ſicuti prima Cauſa eſt omnis bonitatis creaturarum, ita ſummam juſtitiam poſſidere, dicendum eſt.

X.

Sanctus eſt Deus. Enimvero eſt *Sanctitas* omnium perfectionum cumulus ulla abſque imperfectione vel macula: ſed Deus omnes in se continet perfectiones, ſummaque bonitate gaudet (n. III. VIII.): igitur etiam ſanctus eſt.

XI.

Deus eſt ineffabilis. Nullum ſcilicet eſt, vel eſſe poteſt vocabulum, quod perfecte & adaequate Deum nobis, uti in se eſt exhibeat, exprimatque. Cum enim vocabula, quibus ad Deum exprimendum utimur, finita ſint, utpote quae ad animi noſtri conceptus limitatos exprimendos inſtituta, ſimulque ſupremum Ens Deus ſumma ac infinita perfectione gaudeat, nullum ſane vocabulum invenire poteſt humana cognitio finita atque imperfecta, quod perfectam & adaequatam ſupremi Numinis ideam expromat: Deus ergo ineffabilis eſt.

CA-

CAPUT V.

DE PANTHEISMO.

I. Quid sit Pantheismus, quique ejus veteres Sectatores. II. Pantheistarum doctrinae capita notantur, & refelluntur. III. Spinosae hac in re systema aperitur, & confutatur. IV. Deus incorporeus est & simplicissimus, qualicunque nimirum corpore expers.

I.

A Materialismo jam profligato ad Patheismum refellendum gradum facimus. Graeca vox est *Patheismos*, quae latine accepta idem sonat ac *omne-Deus*, & *Deus-omnia*. Unam tantum videlicet in Mundo infinitam admittunt Pantheistae substantiam, quam Deum simul & Universum constituere pronunciant. Hic autem Pantheistarum error vetustissimus in Mundo est. Eleatenses namque, Pythagoricos, atque Stoicos olim Pantheismum tenuisse, Budeus (*a*) & Seneca (*b*) te-

[a] *De Ath. & Superst. Cap.* 1.
[b] *Lib.* 2. *qq. nat. Cap.* 45.

testantur. Idipsum de Alexandro Epicureo refert Albertus Magnus (*a*), de Petro Abailardo Vasquez (*b*), deque Davide de Dinando S. Thomas [*c*]. Idipsum tandem de Mahumedanis narrat Petrus Vallensis (*d*); quodque etiam de Japonum Bonziis, & Indiae Brachmanibus complures Viatores affirmant.

II.

Pantheistarum autem systema ejusmodi est. Universum hoc visibile, inquiunt, ex nullo factum Chao, quod nec unquam fuit in Mundo, nec erit in posterum, neque in Chaos resolvetur, secus ac Materialistae opinantur (Cap. III. n. 1.); sed

I. Deum & Universum ipsum unam eandemque esse Substantiam tam extensione quam virtute infinitam.

II. Immobilem eandem esse secundum totum, mobilem autem secundum partes.

III. Incorruptibilem esse simul & necessariam, existentia scilicet aeternam & duratione.

IV. Eandem infinitis praeditam attributis, inter quae cogitatio & extensio principem sedem habent. Omnia hinc corpora quae in Mundo sunt,

(a) *Vid. Perer. de comm. Princip. lib. 5. cap. 12.*
(b) *In princip. p. 1. q. 3. art. 3.*
(c) *In 1. cont. Gent. 17.*
(d) *In suo Itiner. tom. 3.*

sunt, hujus unius Substantiae quatenus extensa est, formae seu modificationes sunt: omnes autem mentes modificationes sunt ejusdem unius Substantiae, prout cogitatione praedita existit.

Resp. ad 1. Suo arbitrio Pantheistae philosophantur, dum haec proferunt adserta pro eorum statuendo systemate, quin probationem aliquam in medium afferant, quae id quod statuunt firmare valeat. Non philosophari id est, sed delirare prorsus. Verum ad rem propius accedentes, est Deus per saniores Philosophos Ens necessarium, independens, aeternum, perfectissimum, iisque omnibus praeditum attributis, quae Enti a se atque perfectissimo convenire possunt; Mundus vero compages illa dicitur ex Coelo terraque coagmentata, atque ex iis naturis quae in ea continentur. Atqui si Deus & Universum unam eandemque constituerent Substantiam in Pantheistarum sensu, actum esset jam de Dei natura, quia contradictoriis constans attributis; Mundusque ipse mutaretur penitus. Etenim 1. foret Deus hac in hypothesi unicus, simulque in tot divisus partes, in quot extensio ipsa mundana dividi potest; esset simplex, simulque ex omnibus compositus corporeis entibus, quae mundanam hanc machinam constituunt; beatus, simulque omnibus miseriis subjectus; sanctus, simulque omnium impietatum centrum; immutabilis, simulque mutationibus singulis obnoxius; hoc autem cum nihil possit a delira mente excogitari absurdius, sequitur, Deum haud esse cum hoc Universo confundendum. Nec 2. Universum hoc

potest

potest esse Deus, quin ejus natura destruatur. Entis aeterni namque attributa quae de Deo solum jure praedicantur, sunt immutabilitas, independentia ab omni causa, infinita perfectio, aliaque id genus: sed Mundi hujus materia mutabilis est, variis modis modificabilis, dependens, multumque imperfecta, ut nemo non videt: nequit igitur hoc materiale Universum dici Deus, utriusque Substantiae habitis notionibus, & quidem communiter receptis.

Implicat deinde in terminis esse hanc Pantheistarum substantiam unam, simulque infinite extensam. Quod enim extensum est, in suas partes quae illud componunt, dividi potest, quae singulae divisionis partes totidem sunt substantiae inter se distinctae: non erit ergo amplius *una* haec substantia, sed plures. Nec virtute tandem infinita esse potest, cum vires quas in Mundi partibus observamus, intensitate finitae sint, varie modificabiles, atque usu etiam consumibiles. Ita videmus corpora nunc majore nunc minore vi agere, quod sane finitam arguit potentiam.

Ad II. Quod una eademque substantia immobilis sit secundum totum, mobilis vero secundum partes, idem est ac dicere: Petrum toto corpore quiescere, simulque ambulare pedibus, manibusque aedificare: hoc secundum contradicit: ergo & primum.

Ad III. Clarius est quam explicatione egeat, Mundi hujus materiam nec necessariam nec incorruptibilem esse utroque modo, existentia scili-

cet

cet aeternam & duratione. Nonnisi fatuis atque oculis caecis ignotae esse possunt eae omnes corruptiones atque generationes, quae continue in Natura habentur. Quanam autem ratione corruptibilis materia atque mutabilis componi possit cum Ente necessario, simplicissimo atque immutabili, simulque unam eandemque esse substantiam ut Pantheistae volunt, non tam facile mihi persuadeo.

Ad IV. Tantum abest ut extensio & cogitatio simul in eadem componi possint substantia, ut una potius destruat alteram. Exigit namque extensio partes extra partes habere; cogitatio vero nullas habere partes, ut suo loco videbimus. Igitur sicuti repugnat sphaeram simul rotundam esse & quadratam, ita repugnat quoque, extensionem & cogitationem de una eademque praedicari substantia. Nec corpora ergo nec mentes hujus unius Substantiae extensae simul & cogitantis, ut improbe Pantheistae contendunt, formae sunt sive modificationes; ideoque in propatulo est eorundem systematis contradictio ac repugnantia.

III.

Expositum modo ac refutatum Pantheistarum systema pene emortuum, duobus fere ab hinc saeculis Benedictus Spinosa Hispanus, origine Judaeus e cineribus suscitavit, atque inter Europaeos disseminare conatus est. Geometrica methodo impietatem hanc in sua *Ethica*, quae post ejus

ejus fata lucem aspexit, ita Spinosa disponere est adgressus, ut ejus Auctor & defensor acerrimus ab omnibus haberetur. Hoc ipsum quod in Batavia effecit Spinosa, in Anglia praestitit Tolandus in suo Opere *Pantheisticon* inscripto. Adversus Spinosae & Tolandi Pantheismum strenue decertarunt Petrus Baelius (*a*), Jacquelot (*b*), Clarkius (*c*), PP. Lamius (*d*), Gerdil (*e*), aliique, ut videri potest apud Fabricium (*f*).

Fundamentum autem supra quod Spinosa Pantheistarum construit aedificium, obscurissima est atque dolosa substantiae quam tradit definitionem. *Per substantiam intelligo*, loquitur Spinosa (*g*), *id, quod in se est, & per se concipitur: hoc est id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat.*

Resp. cum distinctione. Per substantiam intelligo id, quod in se est, sive est ex se, omnem excludendo causam, quae illud producat, nego: id, quod in se est, seu per seipsum, excluso subjecto cui inhaereat, concedo. Omne quod in Mundo existit, quodque jure *substantia* nominatur, existit quidem *per se*, excluso subjecto, quod

[a] *Dict. Hist. Art. Spinosa.*
(b) *Demonst. de l' exist. de Dieu.*
(c) *De l' exist. de Dieu Tom. Prem. Chap.* 4.
(d) *Nouvel Atheisme renversé &c.*
(e) *Dell' esistenza di Dio ec.*
(f) *De verit. Christ. Relig. Cap.* 13.
(g) *Eth. Part.* 1. *def.* 3.

quod illud sustentet, & cui inhaereat; non autem existit *ex se*, exclusa causa, a qua producatur, & in qua ratio propriae contineatur existentiae. Ita lapides, arbores, bruta, homines existunt per se quia nullo egent subjecto cui haereant, non autem existunt ex se, cum causam habuerint, a qua fuere producta. Spinosa itaque ambigua atque fallaci dictione utitur, dum praeter Scholarum omnium morem substantiam definientium id, quod per se existit, definit quod in se est, sive existit. Quamobrem a Spinosa percontari liceat: vel substantia existit ex se ipsa, seclusa causa, quae illam producat; vel existit per seipsam, secluso subjecto, quod illam sustentet, & cui inhaereat. Si primum vult Spinosa, allucinatur apertissime, simulque minime attendendus, cum id affirmet, quod nec probat, nec Philosophi admittunt. Si vero secundum, actum est jam de tota sua Ethica Pantheismo repleta, ut cuique manifestum.

Verum ad secundam definitionis partem progrediamur, quae ita se habet, *& per se concipitur*. His verbis intelligit indubitanter Spinosa, substantiae conceptum ita absolutum esse, ut nullam importet relationem ad causam, quae ipsam producat. At aerem verberare sciat, dum hoc sibi in animum inducit: hoc enim adsertum probatione eget, quam Spinosa non exhibet, illius supponens veritatem. Quodque etiam de rejectae definitionis explicatione dicatur.

Ea nunc perpendamus corollaria, quae ex tradita definitione Spinosa deducit. *Hinc sequitur*, ait

ait (*a*), *substantiam ab alio produci non posse*: idque probat ex absurdo contradictorio. *Nam si substantia posset produci ab alio, ejus cognitio a cognitione suae causae deberet pendere* [per Axioma 4.], *adeoque* [per definit. 3.] *non esset substantia*.

Resp. Nemo nisi caecus non videt falsum argumentationis hujus suppositum. Supponit itaque 1. Spinosa, ideo substantiam non posse produci ab alio, quia secus ejus cognitio a cognitione suae causae penderet: 2. id non esse substantiam quod a cognitione suae causae pendet. Optaremus quod utrumque probaret Spinosa non quidem per suam dolosam atque ambiguam substantiae definitionem, sed evidentissimis mediis principiis, quemadmodum in suis firmandis adsertis omnes sani ingenii praestant Philosophi.

Demonstratio in promptu est, respondet Spinosa. Id namque probasse adfirmat, dum statuit [*b*] *ad naturam substantiae pertinere existere*. Sed quaeso, quanam id probat ratione? en demonstratio. *Substantia non potest produci ab alio* [per Coroll. prop. praeced.]: *erit itaque causa sui, idest ipsius essentia involvit necessario existentiam, sive ad ejus naturam pertinet existere*. Q. E. D. Atque hinc sequitur, inquit Spinosa [*c*], *praeter*

---

[a] *Coroll. Prop. 6.*
(b) *Prop. 7.*
[c] *Prop. 14.*

ter Deum nullam dari, nec concipi posse substantiam ...

Resp. Evidentissima est ratiocinii hujus fallacia, quam *circulum vitiosum* Logici adpellant. Enimvero ideo per Spinosam ad substantiam pertinet existere, quia substantia non potest produci ab alio, & ideo substantia non potest produci ab alio, quia substantia existit in se, sive ex seipsa. Ut nemo non videt probat Spinosa idem per idem, simulque eo redit ejus argumentatio, quo primum digressa fuit. Non est ut caeteras doctrinae hujus partes persequar atque elidam. Erutis enim radicibus, accisoque trunco, corruere cum cacumine ramos necessum est. Totam autem Spinosae Ethicam, si ad trutinam revocetur, a primo versu usque ad ultimum ridiculis atque insulsis sophismatibus Vir doctus deprehendet refertam. Merito hinc Baelius Incredulorum defensor de Spinosae systemate ait (*a*): *Haec monstrosior hypothesis est, quae imaginari possit, absurdior, simulque e diametro evidentioribus mentis nostrae opposita notionibus.*

IV.

Non est igitur Deus cum Universo hoc materiali confundendus; ideoque incorporeus est & simplicissimus, qualicunque nimirum corpore expers. Et sane quod corporeis componitur membris

(a) *Dict. v. Spinosa.*

bris, totum ubique esse nequit: Deus autem immensitate sua est totus ubique [Cap.IV. n.IV.]: ergo Deus corporeis membris caret. Pariter omne Ens compositum, qua tale, potest corrumpi & mutari: atqui Deus corrumpi & mutari nequit, cum sit a se, & nequeat desinere esse quod est, simulque immutabilis [Cap. IV. n. V.]: igitur physica compositione expers est, ideoque simplicissimus Spiritus.

CAPUT VI.

DE DEI UNITATE, EIQUE OPPOSITO POLYTHEISMO.

I. *Polytheistarum natura & numerus*. II. *Unicum esse Deum monstratur*. III. *Cultiorum Gentilium Divinitates summi Dei unitati non opponuntur*.

I.

TAlis ac tanta est Dei inter existentiam atque unitatem affinitas, ut una sine altera stare minime possit, & hac ablata, illa abducitur extemplo. *Deus* enim, inquit Tertullianus (*a*), *si unus non est, non est*.

Di-

(a) *Lib.* 1. *contra Marcion.*

Divinae autem unitati Polytheiſtae opponuntur, homines ſcilicet qui meditantes inania, Deorum catervam in Mundo induxerunt. Ii omnes itaque caecae antiquitatis Viri Polytheiſtae dicuntur, qui plures ſibi pro arbitrio finxere Deos. Eſtque tam pergrandis eorum turba, ut numerari vix poſſint. Gentiles namque adeo in Deos fuere munifici, ut non Provinciis modo, ſed cuique Civitati atque regionibus ſuam Divinitatem tribuerent. Hujuſmodi fuere quotquot e Vetuſtioribus *Lunae*, *Mercurio*, *Veneri*, *Soli*, *Marti*, *Jovi*, *Saturno*, aliiſque tanquam Diis litabant. Aegyptii nunc *Iſim*, & *Oſiridem*, nunc *Apim*, modo *Serapim* ut Deos colebant. Immo ipſorum complures, docente Auguſtino (*a*), ſerpentes, crocodilos, feles & aves, allia etiam, cepe, porros, aliaque ejuſmodi viliſſima prorſus pro Diis venerabantur; ut merito Juvenalis cecinerit (*b*):

Porrum & cepe nefas violare, & frangere morſu,
O ſanctas gentes, quibus haec naſcuntur in hortis
Numina!

Perſae maximum Deum *Solem* dicebant, parvos vero *Coelum* & *Jovem*. Indae capitale crimen *maximas arbores* ferro caedere judicabant, eo quia ipſis Dii erant. Graeci Jovem, Dianam,

H Mar-

(a) *De Civit. Dei Cap.* 12.
[b] *Satyr. penult.*

Martem, Saturnum, Venerem &c. ut Numen habebant atque adorabant. Romani *hastas* ac *ligna* corticibus nudata pro Diis colebant: unde factum ut singulis Deorum simulacris manibus hastas tribuerent. Arabes pariter *Jovi* & *Baccho*, Numidae *Ammoni*, Phoenices *Saturno*, Laodicei *Palladi*, & Scythotauri *Dianae* litabant. Postremo inter divinae unitatis hostes numerantur Gnostici, Marcionitae, Apellitae, Valentiniani, & Manichaei, quorum praecipue errorem sequenti refellemus Capite. Qui Polytheismi in Mundo originem scire cupit, Theologos adeat, signatim vero PP. Calmet (*a*) & Berti (*b*), qui jure suo de eo loquuntur.

II.

Unicus tantum existit Deus. Etenim est Deus Ens perfectissimum, in omni scilicet genere perfectionis (Cap. IV. n. III.): repugnat autem dari duo Entia summe infiniteque perfecta. Sane de natura Entis perfectissimi est ut nihil illi adhaequetur, h. e. non habere par, cum ipsum sit summum magnum: atqui non foret summum magnum si haberet par quod illi adaequetur, ideoque plures darentur Dii: repugnat ergo plures esse Deos. Deinde in hypothesi plurium Deorum percontari licet: num hi differant essentialiter

[a] *Tom. 2. Dissert. 12.*
(b) *De Theolog. Discipl. lib. 1. cap. 5.*

liter an accidentaliter, cum ut modo probavimus, contradicat dari plura Entia summe bona aequaliter. Atqui nec essentialis nec accidentalis differentia locum in Deo habet. Si enim plura haec Entia essentialiter differre dicas, ut homo differt ab arbore, jam quaevis unius essentialis perfectio deerit in altero, & neuter erit perfectissimus, & per consequens neque Deus. Si vero accidentalem inter ea differentiam statuas, sanctitatem nempe, bonitatem, jus &c., neuter sanctus, bonus, & omnipotens erit. Dicent forsan Polytheistae, ea solo numero differre, ut Petrus a Paulo: sed adhuc inquirimus: suntne ejusmodi Entia a se independentia, vel a se invicem propagata? si hoc secundum velint Adversarii, habemus semper primum ac summum Ens aliorum origo atque causa. Si autem primum: erunt ergo natura diversa, & iterum ut supra ratiocinamur: Deorum pluralitas ergo omnino repugnat; ideoque unicus tantum existit Deus: Praeclare hinc Orphaeus cecinit, ut doctissimus vertit Petavius (*a*):

Unicus est per se existens, qui cuncta creavit,
Inque his ipse extat; nulli e mortalibus unquam
Lumine conspectus, mortales conspicit omnes.

(a) *Theol. Dogm. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3.

III.

Hoc itaque ratiocinationis robur, quod plúres aequales repugnare Deos ostendit invictissime, nos fateri cogit, cultiores Gentiles magnam quidem Deorum statuisse catervam, eos tamen unico, summo atque perfectissimo mancipatos Deo. Et ut a remotioribus auctoritatem repetam, Plato in primis unicum esse Deum pronunciat (*a*) rerum Opificem ac caeterorum Deorum Progenitorem. Platonis hac in re doctrinam expromunt Porphyrius (*b*), Proclus (*c*), Jamblicus, qui Deum *Unitatem ex uno* adpellat (*d*), nec non Damascius, Deum *Unitatem* perspicue nuncupando. Idem sentiit Empedocles, Deum *Unitatem* dicens, & *unitatum Unitatem*. Hoc ipsum Sallustius de Cynicorum schola adfirmat (*e*), quorum Princeps Antisthenes, multos singularum Gentium populares esse Deos docuit, naturalem vero Unum. Nec ab horum sententia discessit Peripatus omnis, cum Xenocrate, Simplicio, atque Porticu tota, testibus Stobaeo (*f*), Athenagora

---

(a) *In Timaeo, Parmenide, aliisque in locis.*
(b) *Apud Cyrill. lib.* 1. *contra Julian.*
(c) *Elem. Theol. prop.* 129.
(d) *De Myst. Sect.* 1. *cap.* 5.
(e) *De Diis & Mundo cap.* 5.
(f) *Ecl. Phys. lib.* 1. *cap.* 3.

gora (*a*), & Lactantio (*b*). In eadem fuit sententia Italica Secta unum Deum statuens cum Magistro Pythagora, Empedocle, Philolao, Parmenide, Melisso, atque Timaeo. Horum omnium classi accensendi Poetae Hesiodus (*c*), Aeschylus (*d*), Euripides (*e*), Orpheus (*f*), & Sophocles (*g*), Deum *Unitatis* nomine exprimentes. Eodem modo Tullius (*h*), & Seneca (*i*) loquuntur; quodque etiam de Sinensibus (*k*), Indis (*l*), atque Canadensibus [*m*], aliisque Gentilibus dicendum, si fides Historicis praestanda est.

(a) *Legat.*
(b) *Lib.* 1. *Instit. cap.* 5.
(c) *Vid. Clem. Alex. Protrept.*
(d) *Justin. de Monarch. Dei.*
(e) *Helen. v.* 498.
(f) *Apud Euseb.*
(g) *Vide Justin. loco citato, & Euseb.*
(h) *De nat. Deor.*
(i) *Lib.* 4. *de Benef.*
(k) *Du-Halde hist. de la Chine. Jovet de la Relig. de la Chine.*
[l] *Banier. Borros. Scusa. Lettres Edificantes.*
[m] *Charlevoix. hist. de la nuov. France. Moeurs des Sauvages.*

CAPUT VII.

DE DUOBUS PRINCIPIIS BONO ET MALO, A BAELIO PRAESERTIM PATROCINATIS.

I. *Historia duorum Principiorum boni & mali*. II. *Duo malorum genera distinguuntur, morale nempe & physicum*. III. *Nullum est in Mundo Principium aeternum summe malum; solusque humanae libertatis abusus malorum moralium causa extat; mala vero physica sunt totidem hujus Universi bona*. IV. *Baelii praesertim argumenta solvuntur*.

I.

MAla quae ingemiscimus, quaeque nos miseros Adae filios continue premunt, ansam praebuere nonnullis ut eorum investigarent, statuerentque principium. Cumque autem intelligere haud potuerit finita mortalium capacitas, quanam ratione a Principio summe bono, Deo nempe O. M. tot mala quae in Mundo sunt, ortum habuerint suum, falsa cogitantes, Deum summe malum, malorum omnium Principium in Mundo adesse dixerunt. Ita in primis pessime ratiocinatus est Zoroastrus, qui abnormem hanc duorum Deorum, bonum unum a quo omnia bona,

bona, alterum malum a quo mala omnia, doctrinam & amplexus est ipse, & inter Chaldaeos atque Persas disseminavit. Secundo autem Ecclesiae vertente Saeculo Marcion Helenoponticus, a quo Marcionitae, Magistrum Cerdonem sequutus, duos pariter Deos statuit, tamquam *duas symplegadas naufragii sui*, ut Tertullianus loquitur [*a*]. Deum bonum ac Deum malum post Marcionitas Cubricus quidam Persa servili genere ortus, qui postea Manes & Manichaeus nuncupatus, defendit, suisque Auditoribus atque posteris propugnandum reliquit. Adversus Marcionitas & Manichaeos dimicarunt Clemens Alexandrinus[*b*], Irenaeus (*c*), Tertullianus (*d*), Epiphanius, & Augustinus, qui Manichaeorum signatim errorem, utpote eodem quondam innodatus, luculentissime ac strenue refellit (*e*).

Petrus Baelius Gallus Pyrrhonismo addictissimus, Incredulorum signifer, systema duorum Principiorum aeternorum, independentium, atque infinitorum, bonum unum, alterum malum, tanto colore, tantaque stili amoenitate transacto saeculo loricavit evulgavitque, ut non defensor, sed Auctor erroris hujus censeri jure possit (*f*). Conten-

[a] *Lib. 1. cap. 2.*
[b] *Strom. lib. 3.*
[c] *Lib. 4. adv. haeres. cap. 14.*
[d] *Ibid.*
[e] *Lib. de nat. Boni, & contra Faustum.*
[f] *Dict. Hist. Critiq. Art. Manich.*

tentione hinc citato in Opere Zoroaſtrum inter, duorum Principiorum fautorem, & Meliſſum, qui unum tantum defendit, inſtituta, Manichaeorum praeſertim argumenta extollit, aliaque de novo producit. Baelii ſophiſmata hac in re diſſiparunt Viri doctiſſimi Leibnitius (a), Wolfius (*b*), Clarkius (*c*), & Bulfingerus (*d*). Ut autem impium hoc duorum Principiorum aeternorum ſyſtema radicitus evellamus, fuſius de eo diſſerendum.

II.

Duo malorum genera apte diſtinguuntur, *morale* nempe & *phyſicum*. Illud, quod malum actionis dicitur quoque, in peccato, ſive deficientia a lege conſiſtit. Iſtud omnes Mundi hujus defectus & deformitates amplectitur, morbos ſcilicet, dolores, miſerias, aerumnas, & caetera ejuſmodi. Nonnulli addunt etiam malum *metaphyſicum* ſive *imperfectionis*, ſed inaniter prorſus. Cum enim malum in genere ſumtum privatio ſit perfectionis rei debitae, quae mala nuncupatur; privatio haec vel reſpicit Entia naturalia, & erit malum phyſicum; vel liberas Agentium actiones ſpectat, & malum morale dicetur. Reſtant

[a] *Theodiceae Part. III.*
[b] *Theol. nat. Part. I. cap. 3.*
[c] *Diſquiſit. de orig. mali.*
[d] *Diſſert. de orig. mali.*

ſtant ſolum Creaturarum imperfectiones, h. e. *finitas*, *dependentia ab alio*, *mutabilitas* &c.; verum harum perfectionum defectus cum neceſſario eorundem conſtituat naturam in praeſenti rerum ordine, improprie *malum* nominatur. Secus namque eſſent Ens infinitum, independens, immutabile, & Deus ipſe.

III.

Nullum eſt in Mundo Principium aeternum ſumme malum; ſoluſque humanae libertatis abuſus malorum moralium cauſa extat: mala vero phyſica totidem bona ſunt Univerſi hujus pulchritudinem ſpectantia. Et quod primam partem attinet, Principium hoc aeternum ſumme malum vel eſt a ſe, vel ab alio. Si ab alio, corruit Manichaeorum ſyſtema, ut neminem latet. Si a ſe, erit quoque neceſſarium, ſibi ſufficiens, atque independens: habemus ergo duo Principia neceſſaria, ſibi ipſis ſufficientia, atque independentia, unum Deum bonum, alterum Deum malum: ſed dari ejuſmodi duo Entia repugnat apertiſſime, ut Capite praec. probavimus: non exiſtit ergo Principium hoc aeternum ſumme malum. Deinde Principium ſumme malum, nullum bonum amplecti in ſe debet; ſicuti Principium ſumme bonum nihil debet in ſe habere mali, cum unum alterum deſtruat. Atqui neceſſitas, aſeitas, independentia Entis ſunt totidem bona, ſive perfectiones, ut nullus ſani ingenii Philoſophus inficiatur: igitur ſi datur Principium ſum-

summe malum, haud necessarium, a se, ac independens erit. Immo tandem nec Principium dici potest, cum omne Principium sit *bonum*, quatenus est Ens: est ergo malum pura simplexque privatio, ideoque nihil.

Si igitur Principium aeternum summe malum omnino repugnat; sicuti contradicit pariter, mala a Principio summe bono, Deo nimirum, enasci, consequens est, mala moralia nonnisi ab humanae libertatis abusu originem recognoscere suam. Etenim ut suo loco ostendemus, creavit Deus hominem libertate praeditum, eumque in manibus consilii sui reliquit, bonum & malum ostendit ei, ut quod vellet, eligeret, oblata ipsi insuper gratia ad bonum amplectendum, malumque aversandum, necessaria. Homo itaque cum a debita legis rectitudine deflectit, simulque sua abutendo libertate malum patratur, sola malorum moralium causa extat.

Mala autem physica si recte considerentur in praesenti rerum statu, non sunt mala, sed totidem bona Mundi hujus pulchritudinem spectantia. Equidem, ut ab hominibus exordium sumamus, quid aliud dolores sunt, febres, morbique omnes, quibus persaepe vexamur, nisi totidem media ad saniorem firmioremque valetudinem assequendam, necessaria? Quid aliud Animi angustiae, moeroresque praeseferunt, nisi magnarum virtutum, patientiae nempe, fortitudinisque exercitium, ut Adversariis demptis, virtutes ipsae marcescerent penitusque deficerent? Quid nobis infensior feris, serpentibus, aliisque ejusmodi venenosis Animalibus?

libus? haec tamen si aliquibus nocent, permultis remedia sunt salutaria, ut cuique manifestum. Quanti nobis emolumenti non sunt rigidiores, altioresque Montes cum adnexis specubus, inaccessisque anfractibus, dum & salubriorum aquarum receptacula existunt, & horriferis Aquilonibus reluctantur, ne liberrime domus, arbores, segetesque nostras dejiciant atque prosternant. Idipsum quoque de Ignivomis autumandum est. Sunt enim isti purgamenta terrarum utilissima, utpote qui sulphureis, nitrosis, atque salinis e ipsarum corde in unum collectis particulis, quin hae carceris impatientes Tellurem quassent atque concutiant, per meatus subterraneos e ipsorum cacumine erumpunt, vicinioribus populis, regionibus, ipsisque campis, ubertatem, amoenitatem, serenitatem elargiendo. Quantam utilitatem nobis non afferunt tonitrua, fulgura, glacies, ipsaeque procellae, dum aere, quo vivimus, igneis, nitrosis, sulphureisque purgato exhalationibus, puriorem nobis, salubrioremque impertiuntur? Quod si tandem plura nobis inimica in regno physico vegetabilium, atque animalium deprehendantur, & ad hujus Universi pulchritudinem, ordinemque conferunt, & peccatorum nostrorum debita poena existunt, quae non parvam quoque praesefert utilitatem: per eam namque justitia Dei declaratur, iniquitas punitur, simulque vivendi rectitudo in hominibus excitatur. Supremi igitur Opificis Dei admiranda est potius Sapientia, qua haec omnia creavit, quam ea mala nuncupanda, quae nobis summopere proficiunt.

IV.

IV.

Plura his addere facile fuerit, sed jam satis est probationum. Audiendi nunc Adversarii, quorum unus Baelius Manichaeorum Patronus sufficere pro omnibus potest. Opponit itaque 1. [a]. Si homo est Opus unius Principii infinite boni, infinite sancti, infiniteque potentis, qui fieri potest, ut morbis, frigori, aestui, fami, siti, doloribus, angoribusque subjiciatur? Qui fiat ut tot pravas inclinationes in se sentiat? ut tot peccata contrahat? summa sanctitas potestne creaturam maleficam producere? summa bonitas potestne creaturam infelicem efficere? summa potentia infinitae juncta bonitati Opus suum bonis minime cumulabit, ab eoque, quidquid vel laedere, vel molestia afficere illud valet, non amovebit? . . Mala igitur omnia quae nos premunt, praeter Deum bonum, Deum malum eorundem Principium apertissime ostendunt.

Resp. Duo malorum genera satis apte distinguimus [n. II.], moralia nempe & physica. Moralia, ut [num. III.] probavimus, nonnisi ab humanae libertatis abusu enascuntur; physica vero h. e. morbi, frigus, aestus, fames, sitis, doloresque omnes sunt totidem bona Mundi hujus pulchritudinem spectantia, ut ibidem diximus. Sed altius de malorum origine differendum. Crea-

[a] *Dict. Critiq. art. Manichéens Rem. D.*

Creavit Deus hominem libertate praeditum: posuit ante eum bonum & malum, felicitatem & miseriam: mille aliis beneficiis eundem cumulavit, quibus bonum constanter velle, & malum aufugere posset. Libertatis veritatem infra monstrabimus, quam si Adversarius inficiatur, probare hoc debet. Homo itaque creatus a Deo liber, voluntario libertatis abusu se flagitiosum reddidit, simulque contra impositum sibi mandatum criminosum atque injustum; & en malorum moralium in Mundo principium. Post violatam Dei legem, fames, sitis, frigus, aestus, innumeraeque aerumnae primum hominem invaserunt: caro adversus spirirum pugnare coepit, ipseque Adam pravis inclinationibus oppressus, malorum tum moralium, cum physicorum & patratorem & caussam se praebuit. Nec Dei sanctitas ergo, nec bonitas, nec potentia criminanda est si tot mala in Mundo conspiciuntur; ideoque necessum haud est Principium summe malum admittere, quod malorum omnium causa censeatur.

Malum ergo, pergit Baelius (*a*), per hominem intravit in Mundum. Sed quo pacto? si homo per vos Opus est Entis infinite sancti, infiniteque potentis, hujus Principii Opus non debet esse [bonum? Potest esse nisi bonum? . . In hominis interna natura malum consistere, respondetis: sed quis ei impertitus est? homo ipsa gratiis Creatoris sui abutens, qui cum summa bonitate

(a) *Ibid. Art. Pauliciens.*

nitate polleat, in statu innocentiae eum creaverat. Dum ita reponitis, *principii petitione* laboratis: cum Manichaeo contenditis, qui tuetur, bina Principia ad hominis creationem concurrisse, hominemque ipsum quidquid boni habet a Principio bono accepisse, & a Principio malo, quidquid mali possidet. Vos his objectis respondetis supponendo, hominis Creatorem nonnisi unicum, summeque bonum fuisse.

Resp. Ne quidem levis petitionis principii umbra in nostra allata deprehenditur responsione. Siquidem 1. luculenter probavimus, repugnare prorsus Principium aeternum summe malum, a quo mala omnia habeantur. 2. libertatis veritatem supponimus, ut suo loco probaturi: his praemissis, mala moralia nonnisi ab humanae libertatis abusu enasci, adserimus: num autem illatio haec sit legitima nec ne, ipsimet Syllogizantes judicent. Igitur dum unicum hominis Creatorem, eumque summe bonum adversus Manichaeos pronunciamus, nullam principii petitionem committimus; committit autem Manichaeus Baelius, dum binos Conditores ad hominis creationem concurrisse statuit: id enim ex praemissis jam probatis, repugnantia nimirum duorum Deorum infinitorum atque independentium jure colligimus, quod arguendi genus in Adversarii doctrinis omnino deest.

Instat 3. Si homo Principii infinite boni, atque sancti Opus esset, nedum ullo absque actuali malo, verum etiam absque ulla ad malum inclinatione eum creasset: est namque inclinatio haec

haec defectus, qui certe ab hujusmodi Principio esse nequit [a].

Resp. Creasse Deum hominem & malo actuali, omnique etiam ad malum ipsum inclinatione expertem, pluries supra diximus; ubi etiam innuimus, & modo repetimus, ad malum habendum, solam sufficere libertatem hominis, omni ad malum ipsum propensione, inclinationeve abducta. Id enim omnes experiuntur homines, & Baelius fassus esset, nisi proprii systematis amore nimio occaecatus extitisset.

Remanet ergo ut dicamus, ait Baelius [b], hominem non quidem malum, nec ad ipsum inclinationem, sed vim tantum ex se ipso malum patrandi a Deo in sui creatione accepisse; dumque malum faceret, & criminis patrati, & mali moralis in Mundo introitus causa exillit. Sed nullam distinctam habemus ideam, qua intelligere possimus, Ens ab alio existens, agere tamen per se se.

Resp. Est equidem homo Ens ab alio, tamen libertate praeditus ut suo loco, qua fit ut per se hoc potius, quam alio modo operetur, bonum nempe vel malum. Et licet concedamus, id ab humana Mente concipi haud posse, rei tamen veritas inficiari a nemine sani ingenii poterit. Si quidquid non percipimus inficiari ab hominibus posset, totam Naturae seriem, quae nos

[a] *Id. ibid.*
[b] *Ibid.*

nos penitus latet, cuique denegare licebit ; quo nihil opinari absurdius potest.

Opponit ultimo Baelius [*a*]. Deus qui omnes noverat Evae cogitatus, dubitare non poterat, eam in mala lapsuram : permisit igitur ut peccaret .. Peccatum Adae certius etiam fuit a Deo praevisum .. Si itaque hominis conservatio, innocentiae status, malorumque omnium privatio Dei cordi fuissent, post mulieris lapsum Viro robur addidisset ; vel secundam viraginem haud ut prima seductam, immo sanam, firmamque ei tribuisset.

Resp. Omnes Evae cogitatus, ejus lapsum, sicuti & Adae peccatum praevidit quidem Deus, sed quoniam libertate praeditos eos creaverat, eorum peccatum impedire non debuit ; secus enim eorundem laesisset libertatem. Quod autem praevisio Dei non sit causa peccati, patet ex eo, quod ille tantum est peccati causa, qui in peccatum ipsum influit, quod locum in Deo non habet. Quid insuper facere poterat Deus, ne primi Parentes caderent, & non fecit ? superabundantia eis dona concessit, quibus mediis possent in statu innocentiae permanere. Neque Deus ut Adami lapsum impediret, tenebatur ei secundam viraginem firmiorem tribuere, ne tam faciliter ut prima caderet : hoc namque est Deo legem ponere, quod nimiam sapit audaciam, cum Adam

[a] *Ibid.*

Adam potuisset in statu innocentiae perseverare si voluisset, de fructu non comedendo ipsi a muliere exhibito. Quapropter hoc unum ex adducto momento inferri potest, possibilem fuisse & esse Deo alterum rerum ordinem, in quo homines & liberi crearentur, & a lapsu servarentur immunes, quod libenter permittimus.

Atque hinc patet, quanta temeritate adstruant nonnulli, melius fuisse hominem libertate carere, a qua tot mala enascuntur: hos inter eminet Baelius, qui libertatem adpellat (a): *funeste privilege de pouvoir pecher*. Verum hi omnes libertatis privilegio indignos se praebent, dum ita loquuntur, simulque inter artificiales Machinas adscribi exoptant; ideoque non est, ut eos amplius audiamus.

I CA-

(a) *Ibid. Art. Manich.*

CAPUT VIII.

DE DEI LIBERTATE IN CREANDIS REBUS; UBI DE EARUNDEM CONSERVATIONE PAUCA DICUNTUR.

I. Est Deus in creandis rebus voluntate liberrimus. II. Systema Leibnitii quoad Dei voluntatem in rerum creatione explicatur, & rejicitur. III. Et quoad Indiscernibilia, Mundique Optimismum. IV. Deum Creaturas conservare probatur.

I.

DEum prout est in se, cum nonnullis ejus attributis praecipuis sumus hucusque contemplati; modo de ejusdem attributis Creaturas respicientibus, cujusmodi sunt Creatio, Conservatio, Concursus & Providentia nonnulla dicenda supersunt, quae nos haud longo tempore detinebunt. Creationem & Conservationem heic explicabimus, de aliis infra loquuturi.

Esse Deum in creandis rebus voluntate liberrimum clarius est, quam ut probatione indigeat. Etenim est Deus perfectissima rerum omnium Causa, atque a creatis omnibus omnino independens (Cap. IV. n. I. III.): non esset autem ejusmodi,

modi, quoties in creandis rebus necessitate cogeretur ad operandum. Sane eo in casu non posset existere Deus quin semper operetur, ac per consequens si creaturae non essent, non esset pariter Deus ipsarum Causa; penderet itaque Deus ea in hypothesi ab effectibus, sive creatis, sicuti motus corporum ab eorundem collisione pendet; quod nimiam sapit imperfectionem, quae Enti a se atque perfectissimo nullatenus convenit. Potuit igitur esse Deus, & potest esse modo quin aliquid extra ipsum existat, omneque quod creavit, plena libertate creavit.

Sunt autem nonnulla circa quae Deus non libere sed necessario fertur; ita se habent 1. *amor sui ipsius*, operationes illae, seu *emanationes ad intra*, quae necessario ex divina natura effluunt. 2. ad malitiam amandam, bonitatem odio habendam liber non existit Deus: opponitur enim id sanae rationi, Dei sanctitati atque sapientiae. Divina igitur libertas prout respicit bonitatem divinam, nulla judicii indifferentia gaudet; cum nullum sit bonum, quod cum summo Deo aequiparari valeat: unde hoc in casu idem est libertas ac necessaria & persistens Dei voluntas. Penes connotata itaque tantum, externa nimirum objecta Dei libertas attendi debet, quae nonnisi contingenter & liberrima Dei voluntate in tempore creantur.

Dicet forsan aliquis: Omnia in Deo sunt actu: ergo nulla extat in eo potentia, ideoque nulla indifferentiae libertas.

Resp. Sunt quidem omnia in Deo actu, qua-

tenus nulla est in eo potentia ab actu distincta, nisi connotative tantum, seu relate ad externa objecta: exigit namque summa Dei perfectio ut idem sit ejus posse & operari. Sed cum omnis actio principium suum necessario supponat, seu potentiam ac facultatem a qua sit & habeatur, juxta illud: *Operari sequitur esse*, est quoque in Deo potentia, seu libertatis principium, ex quo ejus perfectissimi actus habentur atque enascuntur. Num autem Deus in earundem rerum liberrima creatione utatur sufficienti ratione Leibnitianorum modo disputabimus.

II.

Gotofridus Gulielmus Leibnitius natione Germanus, cum rationis sufficientis principium ad omnia omnino extendisset [Cap. V. Ontolog.], dum quaevis causa operatur, eadem ratione sufficienti utatur, necesse est, affirmavit. Est autem per Leibnitium ratio haec sufficiens ipsamet objectiva rerum bonitas, intellectu cognita, movensque voluntatem ad agendum, & quidem ita, ut voluntas eadem in ratione majoris bonitatis & perfectionis in rebus depraehensae semper operetur: unde in casu plurium objectorum inaequalis perfectionis, illud semper a voluntate eligitur, cui prae ceteris plus inest bonitatis; in casu vero duorum objectorum aequalis perfectionis & bonitatis, neutrum a voluntate eligitur, cum ratio sufficiens desit unius prae alio electionis. Ex his

his infert 1. Leibnitius [a], Deum non modo semper eligere melius, sed non posse minus bonum eligere, neque omittere melius. 2. repugnare prorsus duo vel plura indiscernibilia, h. e. Entia perfecte aequalia, & undequaque similia. 3. quod est corollarium primae adsertionis, Mundum hunc adspectabilem esse omnium possibilium optimum, simulque plane impossibilem esse alterum Mundum ab hoc nostro diversum. Hic enim nec similis nec perfectior esse posset ex rationis sufficientis principio. Nec Mundi hujus mala aliquid ejus optimismo obstant, cum per Leibnitium Deo sit impossibilis Mundus malo morali omnino carens.

Deum eligere semper atque efficere melius, Platonicorum, aliorumque Veterum opinio fuit. Abailardus [b] cum aliis circa Saeculi XII. finem Mundi optimismum propugnavit. Inter duo vel plura inaequalis perfectionis semper a Deo eligi melius, Graeci adstruebant: non posse autem non elegi melius, Leibnitius adjecit; sicuti impossibilem esse Deo electionem inter aequalia, immo duo perfecte similia dari non posse constituit.

Hanc Leibnitii doctrinam fideliter sequuti sunt Wolfius [c], Reimberk [d], Wattel (e), aliique plu-

---

[a] *Essais de Theodicee. Part.* 1.

[b] *Theol. Christ.*

(c) *Teol. Nat. Part.* 1.

(d) *Reponse de M. Reimberk* 1736.

(e) *Defense du systeme de Leibnits* 1741.

plures in Germania praesertim. Leibnitianum systema impugnarunt Palms (*a*), & Clarkius (*b*), cujus multae sunt epistolae super hoc argumentum ad Leibnitium datae.

Ratio sufficiens Leibnitianorum in Deo Creatore locum non habet suum. Sane, non utitur Deus in rebus creandis ratione sufficienti Leibnitianorum, quoties res ipsae possibiles nequeant esse objectum motivum Dei movens voluntatem ad earum creationem: atqui res possibiles in se spectatae nequeunt esse objectiva ratio sufficiens divinam movens voluntatem ad eas creandas. Est enim Deus sibi sufficientissimus, beatus, atque independens (Cap. IV.): quidquid ergo operatur, & liberrime operatur & sibi sufficiens ratio extat; secus namque ex necessitate ageret, quoties res externae ad operandum divinae voluntatis ratio sufficiens ac movens forent. Sed parumper res possibiles in se consideremus. Sunt hae purum nihil respectu Dei, cum ipsarum esse *intelligibile* a divino accipiant intellectu (Cap. VIII. Ontolog.): quomodo ergo objectum motivum esse valent Dei movens voluntatem ad sui creationem? Neque id efficere valet quae in rebus est perfectio atque bonitas, ad quam veluti ad sacram anchoram Leibnitiani confugiunt: sunt enim hae perfectiones negativae tantum, quatenus nempe res ipsae sunt in statu negationis intrin-

(a) *Apologie contra Leibnits* 1736.
(b) *Recueil des Lettres &c.*

intrinsecae repugnantiae, ac logice possibiles. Deinde undenam perfectio haec atque bonitas in rebus ipsis, nisi a divina voluntate, quae libertime eas futuras statuit, iis praeditas perfectionibus, quas habere poterant illas creando? Se ipsam igitur movet divina voluntas dum aliquid extra molitur, ipsaque sola est suarum operationum sufficiens ratio atque motivum.

III.

Si itaque divina voluntas liberrima est in rebus creandis, suarumque operationum sufficiens ratio est atque motivum, ut modo dicebamus, duo vel plura Entia perfecte similia, seu indiscernibilia dari peroptime possunt. Etenim ad horum quam dissimilium creationem non major requiritur vis atque potentia, cum tam illa quam ista e nihilo creata concipiantur.

Quinimo indiscernibilia ipsa in Natura dari experientia compertum. Si enim purissimum Mercurium vel in fumum concitatum, vel trans poros corii pressum, supra purum speculum excipias, globulos sibi simillimos, nec ulla nota distinguendos observabimus. Idipsum de vaporibus calidae aquae purae dicendum. Sicuti & de Solis radiis: Si enim radium Solis ope prismatis in suos radiolos coloratos separaverimus, coloremque purum unius radioli diu & attente inspiciamus, nullam coloris diversitatem observabimus; quare omnia lucis corpuscula, radium alicujus coloris constituentia, sibi simillima esse viden-

dentur: si enim dissimilia forent, perpetuo visum alio modo afficerent, atque in quolibet radiolo omnis generis colorum varietas, aut ejusdem coloris varia pulchritudo, claritasve daretur, quod experientiae repugnat. Haec omnia Cl. observavit Musschenbroekius (*a*), omnesque observare poterunt si placet.

Sed dicunt Leibnitiani: Duorum Indiscernibilium admissa existentia, essent haec simul duo, & non duo; duo ut supponitur, non duo, cum inter se non differrent; & quae non differunt inter se, sunt unum idemque.

Resp. Differunt duo haec Indiscernibilia numero & loco. Vel ipsomet Leibnitio docente (*b*): Ea numero distincta sunt, quae singula propriam sibi habent existentiam; vel quae distinctis in locis existunt, quod duorum Angulorum ipse declarat exemplo. Atqui duo vel plura Indiscernibilia propriam haberent existentiam, distinctisque in locis existerent, ratione impenetrabilitatis: forent ergo duo vel plura, quamvis simillima.

Neque dicas ea non esse perfecte & undequaque simillima, quia numero & loco differrent, vel etiam tempore. Tempus namque numerus & locus cum sint rebus ipsis extrinseca; & ea vocentur similia Wolfio ipso loquente (*c*), in quibus eadem sunt, per quae Entia discerni debent: tem-

(a) *Elem. Phys. cap.* 11.
(b) *Ontolog.* §. 180.
(c) *Ontol.* §. 195.

tempus ergo & locus efficiunt quidem ut res inter se numero differant, non vero ut earum perfecta minuatur similitudo. Similia enim quoad interna non externa sunt consideranda.

Leibnitius tandem ad Samuelem Clarkium scribens (*a*), sibi hac in re adversantem, fatetur se in quodam deliciarum horto cuidam Amico semper notabile aliquod discrimen inter duo vel plura folia ostendisse, adeo ut impossibile fuerit, omni adhibita industria, duo perfecte similia invenire. Hoc ipsum affirmat Wolfius, qui innumera tentavit experimenta in Lacte, Aqua, Arena, similibus.

Resp. Magnus est Philosophorum enthusiasmus! Leibnitii & Wolfii experimentis experimenta opponimus Musschenbroekii superius a nobis reserata, quae profecto majoris roboris dicenda, utpote in ultimis solidis facta. Folia enim, Lac, Aqua, Arena magis composita sunt, quam nulla in iis accidentalis dissimilitudo adsignari valeat. Minus composita itaque si attente observabis, vel nullam vel fere parvam dissimilitudinem deprehendes. Qui ergo Corpora omnia, aliqua nota distincta ex Metaphysica probarunt, doctrinam rebus ipsis adversam tradiderunt.

Ad Mundi Optimismum nunc descendamus. Mundum hunc visibilem optimum esse in suo genere, seu ratione finis atque consilii a Deo habiti in ejus creatione non denegamus: at omnium

(a) *Recueil des Lettres &c.*

nium possibilium optimum illum esse juxta Leibnitianos, probare nequimus, sequentibus ducti rationibus. Nullus effectus ultima mensura esse potest virium suae causae: si autem Mundus omnium possibilium optimus cum Leibnitianis statuitur, esset ultima mensura virium suae causae, nempe Dei. Sane ex omnibus Mundis possibilibus qui creari a Deo poterant, melius eligi debuit a Conditore ipso; secus namque sine ratione sufficienti operatus esset, qua media per Leibnitianos voluntas semper operatur in ratione majoris bonitatis & perfectionis. Vel dicendum ergo, Mundum omnes possibiles continere perfectiones, ideoque infinite perfectum esse: vel Universum hoc finitum ultimam mensuram esse virium sui Creatoris: vel tandem divinam Omnipotentiam finitati subjici. Primum Pantheismum sapit, quod supra refutavimus: secundum naturali rationi, atque communi hominum sensui repugnat: tertium Dei evertit essentiam, quae ex datis exurgit attributis: Mundus igitur hoc sensu optimus rectae rationi adversatur.

Praeterea Mundi Optimismo admisso, prono sequitur alveo, Mundum necessario aeternum esse tam a parte ante, quam a parte post. Ad melius tenetur Deus per rationis sufficientis principium: sed melius est esse semper, quam non semper. Mundus ergo hic, ut salvetur rationis sufficientis principium, aeternus esse debet creatione simul & duratione. Istane cum Religione cohaerent quam profitemur?

Quid tandem si probemus, systema Optimi Leib-

Leibnitianorum Dei tollere libertatem, simulque fatalismum in Philosophia inducere? Omnes etenim alii Mundi, rationis sufficientis principio admisso, ab hoc nostro diversi, sunt prorsus Deo impossibiles. Nam vel huic nostro aequales dicas, vel meliores, vel tandem inferiores: non primum, cum plura Entia perfecte similia per Adversarios dari nequeant: non secundum; tenetur enim Deus semper ad optimum: non tandem tertium, cum secus rationis sufficientis principium evanesceret. Deus ergo necessitate coactus Universum hoc omnium possibilium optimum creare debuit: sed ubi adest necessitas deest libertas: Deus igitur libertate caruit in Mundi hujus creatione, si Leibnitianis praestanda fides.

Stat, inquit Leibnitius, divina libertas, quamvis ad optimi electionem teneatur necessario per rationis sufficientis principium. Nam inter tot Mundos possibiles fit electio necessaria: est ergo electio necessaria Mundi non necessarii; si Mundus autem esset necessarius, reliqui non forent possibiles.

Resp. Nugas loquitur Leibnitius dum ita loquitur. Siquidem ubi necessitas, ibi nulla electio est. Atqui si Deus necessario optimum eligit atque creat, nec creare valet nisi optimum: reliqui Mundi ergo, si hunc nostrum optimum excipias, non jam possibiles, sed impossibiles Deo redduntur. Ideo namque alii Mundi dicuntur possibiles, quia possunt a Deo creari: sed in systemate Leibnitiano ineluctabili necessi-

tate

tate debet Deus Universum hoc creare : reliqui Mundi ergo sunt ei impossibiles.

Sunt quidem impossibiles, pergunt Adversarii, reliqui Mundi, excepto hoc nostro, respectu divinae sapientiae, quae nec summa polleret bonitate, nec ratione sufficienti duceretur, quoties minus bonum eligeret : non vero relate ad Dei omnipotentiam, quae alios Mundos sive aequales, sive inaequales creare potest.

Resp. Ut hanc futilem exceptionem elidamus, ad hominem, ut dicitur, argumentari placet: Si alii Mundi possibiles dicuntur respectu divinae omnipotentiae, impossibiles autem respectu divinae sapientiae, etiam peccatum possibile dici poterit relate ad Dei omnipotentiam, impossibile vero relate ad ejus sanctitatem ; eadem namque utroque in casu ratio recurrit. Sed quidquid uno Dei opponitur attributo, ceteris ejus attributis atque essentiae adversatur : allatum ergo momentum nil contra nos evincit. Quamobrem cum Deus melius semper velle debeat per Leibnitianos, & reliqui Mundi inferioris sint perfectionis relate ad hunc nostrum : quanam ratione hi Mundi possint dici possibiles respectu divinae omnipotentiae, quorum creationem nunquam Deus velle potest, non intelligo. Clarius est igitur Leibnitiani systematis contradictio, quam ut majore demonstratione egeat.

IV.

Pauca nunc de Creaturarum conſervatione dicemus. Omnes & ſingulas Creaturas immediate conſervat Deus, & quidem eadem libera actione, qua eas creavit. Sane definitur conſervatio permanentia exiſtentiae; ſed per ſolam Dei potentiam extra ſuum nihil Creaturae reperiuntur: ergo per eandem quoque in ſuo eſſe conſervantur. Inſuper ſicuti Creaturae ut primo ſint ſeu creentur pendent a Deo immediate; ita quoque immediate pendent a Deo ut ſint permanentes, ſeu conſerventur; ideoque ſicuti immediate eas creat Deus, ita immediate conſervat.

Si igitur Deus eadem permanente volitione ac actione, qua Entia omnia creavit, ea conſervat, adſtruendum, conſervationem realiter ſpectatam, idem eſſe ac continuatam creationem,

CAPUT IX.

DE DEI CONCURSU RESPECTU CREATURARUM.

I. Quid & quotuplex sit concursus. II. Physica Thomistarum praemotio in Creaturis sive necessario, sive libere operantibus locum non habet suum: immo Causis liberis indifferentiae arbitrium tollit; Deumque peccati Auctorem facit. III. Concursus simultaneus Scotistarum utpote rationi conformis adprobatur, & defenditur.

I.

Maximam esse atque summam Creaturarum a Deo prima rerum omnium Causa, dependentiam, neminem latere jure puto. Eas namque e nihilo creavit Deus, eademque libera qua creavit actione ipsas in tempore conservat. Quae sane Creaturarum a Deo dependentia exigit, Philosophis omnibus fatentibus, ut ad singulas & omnes ipsarum actiones Deus ipse concurrat. Quonam autem modo cum Creaturis Deus in operando concurrat, acerrime Thomistas inter praesertim atque Scotistas disputatur. Sunt quidem incomprehensibilia judicia Dei, & investigabiles viae ejus, tamen ne hac in parte haereamus, sola ratione ductrice, divinum concursum cum Creaturis explicare adgredimur.

Est

Est concursus in genere duarum Causarum cooperatio in aliquo producendo effectu. In specie vero, concursus Dei cum creaturis tunc habetur, cum effectus a Deo simul & Creaturis ipsis producitur.

Duplici autem modo potest Deus cum Creaturis concurrere ad effectum aliquem producendum, *physica praemotione* nempe & *concursu simultaneo*. Praemotio physica definitur a Thomistis influxus Causae primae in causis secundis, quo Deus actualem ipsis efficacitatem inspirat, eas movet, applicat, & physice determinat ad ultimam illam activitatem, ad quam sequitur actus.

Omnes itaque causarum secundarum motiones & volitiones praevenit Deus atque praecedit, juxta Thomistas, simulque eas indifferentes ac indeterminatas ad agendum applicat atque determinat; eodem ferme pacto, ut Pr. Corsini Thomistarum hac in re defensor loquitur (*a*), quo Magister discipuli manum arripiens ita illam dirigit ac impellit, ut ab ipsa characteres efformentur. Impossibilis est ergo in Agentibus liberis actionis negatio, physica praemotione admissa.

Concursus simultaneus habetur, cum Deus ita cum causa secunda, ad operandum conjungitur atque concurrit, ut effectus ab utraque Causa, Deo nimirum & Creatura, simul producatur.

Dividitur concursus simultaneus a Scotistis in me-

(a) *Metaph. disp.* 3. *Cap.* 3.

mediatum & *immediatum*. Prior, qui dicitur etiam *virtutis*, obtinetur cum Deus vim ac potentiam Creaturis elargitur, qua operantur, suosque effectus producunt. Posterior, dictus quoque *suppositi*, quando ita Deus cum Creaturis agit dum operantur, ut effectus a Deo simul & Creatura producantur immediate. Concurrere Deum ad singulas & omnes Creaturarum libere agentium actiones, concursu mediato, sive virtutis nemo sani ingenii inficiatus est Philosophus; cum nonnisi a Deo, Creaturae vim qua operantur, habuerint. Pariter concurrere ad earundem operationes concursu immediato seu suppositi, patet ex eo quod summa Dei potentia in Creaturas atque gratia omnium maximam earundem dependentiam exposcat: haec autem per solum concursum immediatum haberi potest: ergo nedum concursu virtutis, sed suppositi quoque ad Creaturarum actiones concurrit Deus.

Hoc itaque inter praemotionem physicam & concursum simultaneum discrimen adest: Illa Creaturas liberas ad agendum determinat ita, ut necessario operentur; iste vero Creaturam liberam ad agendum comitatur, & ea nolente, effectus minime habeatur.

II.

Quod autem physicam Thomistarum praemotionem attinet, adserere non ambigimus, eandem in Causis tum necessario cum libere agentibus locum haud habere suum; immo indiffe-

rentiae arbitrium causis liberis tollere; Deumque peccati auctorem facere. Enimvero princeps ratio atque necessitas, qua Thomistae, signatim vero Pr. Goudinus [*a*], praemotionem physicam in Creaturarum tum necessario cum libere agentium operationibus statuunt, omnimoda est Creaturarum earundem a Deo dependentia, & supremum Dei in Creaturas dominium: sed haec omnia salvantur peroptime, physica Thomistarum praemotione abducta. Sane quod causas necessario agentes spectat, cum hae in suo esse completae sint, atque ad operandum determinatae, in quo a causis liberis differunt; ut ignis ad comburendum, aqua ad madefaciendum, profecto inaniter eas praemoveret Deus ad suos effectus causandos, ut cuique manifestum: praemotio igitur physica in causis necessariis frustranea est.

Sicuti pariter in causis liberis. Nam salvatur peroptime dependentia omnium maxima Creaturarum a Deo, sicuti pariter supremum Dei in Creaturas dominium per solum concursum immediatum, ut supra probavimus [n. 1.]. Deinde concedimus per physicam praemotionem haec omnia salvari melius quam per concursum immediatum; sed salvantur per incommodum alterius, libertatis scilicet humanae & Dei ipsius, ut modo videbimus.

Indifferentiae libertas in eo consistit, quod voluntas ad eam contradictionis partem se ipsam

K va-

[a] *Part. III. Philos. Art. 2.*

valeat determinare, quae ipsi magis arridet: Sed physica praemotione semel admissa, voluntas efficere id nequit. De facto, praemotio physica antecedens omnino est, infallibilis, sive ita infallibiliter cum effectu ponendo vel non ponendo conjuncta, ut hunc haud poni, vel determinate non poni penitus repugnet [n. 1.]. Quamobrem quaerere placet: vel potest humana voluntas physice praemota effectum diversum ab eo ad quem praemovetur, causare, vel non. Primum nolunt Thomistae: secus enim physica eorum praemotio nec infallibilis foret nec infallibiliter cum effectu ponendo vel non ponendo, conjuncta. Secundum ergo statuunt; ideoque caret voluntas potentia ad oppositum, h. e. potentia proxima ad agendum & non agendum; nec non caret indifferentia cum haec vel ex ipsa nominis vi, inter plura indifferenter debeat occupari.

Neque dicant Thomistae, voluntatem antequam physice praemoveatur, posse agere, atque se ad actum determinare; nunquam tamen futurum ut tunc agat, & seipsam ad operandum determinet. Sane quam fluxa sit haec exceptio, patet evidenter. Etenim dicant nobis, amabo, cur voluntas ante praemotionem valeat operari, seque ipsam ad actum determinare; nunquam tamen futurum ut operetur, & seipsam ad actionem determinet? unum ex his duobus eligant necesse est; vel quia voluntas eo in statu impotens est ad operandum; vel quia aliqua conditio ei deest ad hoc ut agat: nullum aliud est medium. Si primum: falsum ergo, voluntatem an-

te

te praemotionem posse agere. Si secundum: igitur actionis negatio potest peroptime cum physica praemotione conciliari. Quodcunque ex his eligunt Adversarii nihil emolumenti eorum causae accedit.

Praemotio physica tandem Deum peccati auctorem facit. Enimvero ut operetur homo per Thomistas physica eget Dei praemotione: homo autem & bene & male operatur: & boni ergo & mali hominis auctor est Deus atque causa; ideoque si Deus physice hominem praemovet ad male operandum, peccati causa extat.

Sed ajunt Thomistae: praemovet Deus physice hominem tantum ad *materiale* peccati, non autem ad *formale*. Quae sane distinctio nihil ipsis prodest. Is enim absolute dicendus auctor peccati commissi, qui absolute auctor est & causa actus mali materialiter sumti, in iis circumstantiis, in quibus materiale peccati necessario cum formali conjungitur. Deus autem humanam voluntatem ad materiale peccati physice praemovens, est ejusdem auctor & causa in iis circumstantiis, in quibus materiale cum formali connectitur. Nam ille est auctor operis, qui opus ipsum suo arbitrio efficaciter determinat: illo auctore cum dicimus, illo volente dicimus, ajebat Augustinus: igitur si ad materiale physice hominem praemovet Deus, praemovet quoque ad formale.

Cui addimus. Si Deus physice liberam hominis voluntatem ad agendum praemovendo, ad materiale tantum peccati praemoveret, minime

vero ad formale; humana voluntas posset eo in casu illud inculpabiliter velle. Docet enim S. Thomas (*a*): *Ex hoc unaquaeque voluntas bona est, quod divinae bonae voluntati conformatur; & ex hoc actus nostrae voluntatis divinae bonae voluntati conformatur, quod volumus id, quod Deus vult nos velle.* Nunc ita ratiocinamur: Is inculpabiliter semper & honeste operatur, qui vult id, quod Deus vult ipsum velle; atqui homo ad actum malum physice praemotus, vult quod Deus vult ipsum velle: igitur absque culpa vult peccatum, cum peccatum sit contra legem & Dei voluntatem; ideoque nulla in Mundo erunt peccata, quod dici absque blasphemia nequit.

Scio equidem Thomistas totos in eo esse ut utrumque hoc absurdum evitent, simulque hominis libertatem & Dei sanctitatem, quae peccati causa esse nequit, salvent: ast quibus rationibus id praestent, numque hae recte concludant nec ne, non vacat definire. Scholasticos adeat qui plura de his exoptat.

III.

Ad concursum simultaneum Scotistarum nunc descendamus. Est hic veritati conformis, ideoque probandus. Sane tria in praesenti quaestione salvari debent, 1. maxima Creaturarum a Deo dependentia, 2. supremum Dei in Creaturas dominium

[a] *Quaest.* 33. *de verit. art.* VII.

minium, 3. tandem humana libertas. Quod autem haec omnia in Scotistarum sententia salventur peroptime, patet evidenter. Nam posito simultaneo ac immediato Dei concursu ad actiones Creaturarum, ita Creaturae a Deo in operando dependent, ut quoties Deus earum comitatur determinationes, illae effectum suum causant; contra vero eo ablato, nec Creaturae se determinare, nec agere possunt: in quo sane omnium maxima Creaturarum a Deo consistit dependentia. Pariter per concursum simultaneum supremum Dei in Creaturas habetur dominium: si namque Creaturae pendent a Deo dependentia omnium maxima, ut modo dicebamus, supremum quoque sit Dei dominium in Creaturas, necesse est. Remanet tandem humana libertas, quae salvatur etiam in Scotistarum systemate. Siquidem non operatur Deus, nisi Creatura operetur: hoc tamen non intelligitur de antecedenti Creaturae determinatione & operatione, aliter operaretur absque Dei dependentia; sed intelligitur quod Deus *simul* & *semel* comitetur Creaturam libere operantem, quod non efficit Deus caeco ductu, fortuito & casu, bene autem propter suam infinitam perfectionem, qua Creaturarum omnium perfectiones & operationes continet *eminenter*.

Nonnulla modo dicemus de concursu Dei cum Creaturis ad actiones malas. In actionibus moraliter malis duo sunt distinguenda, *materiale* scilicet, & *formale*; sive ut docet subtilis Doctor actus positivus ut materiale, & privatio justitiae de-

debitae ut formalis. Respectu hujus privationis nulla est causa efficiens, sed deficiens solum: voluntas enim quae debitrix est dandi rectitudinem suo actui, & non dat, deficiendo peccat. Deus itaque causa universalis, perfectissima, efficiens tantum, nec deficere valens, in actionibus moraliter malis concurrit quidem ad materiale, seu actum positivum ac physicum; non autem ad formale, deficientiam nimirum rectitudinis debitae, quae tota se habet ex parte Creaturae, h. e. voluntatis libere deficientis. Quod idem Doctor declarat, confirmatque exemplo Animae, quae cum tibia curva concurrens, concurrit quidem ad motum tibiae, non vero ad claudicationem, quae tota claudicatio a curvitate tibiae procedit: sola ergo humana voluntas libere deficiens est causa peccati, non autem Deus, causa tantum efficiens, perfectissima, & ad materiale concurrens.

CA-

CAPUT X.

IN QUO DE DEI PROVIDENTIA DISSERITUR.

I. *Providentiae definitio.* II. *Qui Fataliſtae & Deiſtae dicantur.* III. *Providentia ſua, omnia tum magna, cum parva gubernat Deus, atque ad conſtitutum ſibi finem dirigit.* IV. *Reſpondetur objectionibus.*

I.

OMnia ac ſingula ſuperius illuſtrata Dei attributa infirmarentur penitus atque deficerent, quoties Deus ipſe creata omnia, ne quidem abjectiſſimis minimiſque exceptis, ſapientiſſimo conſilio, ſupremaque haud gubernaret Providentia. Eſt nobis haec diſputatio velut Theologiae Naturalis culmen, quod omnibus, ſinguliſque de Deo exaratis propoſitionibus robur addit, perfectionem, complementum. Quantum itaque ſat erit ad praeintentum finem conſequendum, de Dei dicemus Providentia.

Providentia juxta nominis etymon idem eſt ac *prae-videntia*, ſive praevia exiſtentium atque futurorum cognitio: vel etiam *procul-videntia*, ſeu rerum cognitio a longe; hocque in ſenſu Providentia ſumta cum divina convenit Prae-

ſcientia. Quoad naturam vero definitur Providentia a Boetio [a]: *ipſa illa divina Ratio in ſummo omnium Principe conſtituta, quae cuncta diſponit.*

Deus ſcilicet princeps rerum omnium Cauſa ſicuti liberrime Entia omnia creavit, conſervat, atque ad operandum cum ipſis concurrit, ita pariter ſapientiſſima gubernat Providentia, eaque ad ſuos fines tum generales, cum particulares dirigit, manuducit, diſponit. Dicuntur autem fines Creaturarum generales, qui cunctis, ſingulisque creatis rebus conveniunt, ut vegetare in plantis, vivere in animantibus, intelligere in hominibus. Peculiares autem omnibus creatis non ſunt communes, ut dominium Provinciarum atque Regnorum, dignitatum atque honorum conſecutio, & his ſimilia. Quoties igitur Deus per media neceſſaria ad ſuos fines Creaturas dirigit atque diſponit, Providentiam de illis habere intelligitur.

II.

Fataliſtae ii dicuntur divinae Providentiae oſores, qui infallibili neceſſitate evenire pronunciant quidquid in Mundo contingit. His accenſendi Genethliaci, qui rerum omnium eventum ſiderum conſtitutioni, & aſtrorum influxui adſcribunt, nullam agnoſcendo Providentiam. Dei-
ſtae

[a] *Lib. 4. de conſol. Phil.*

ſtae e contrario Deum quidem unicum fatentur; Creaturas autem ſingulas minime curare adfirmant. Eſt ſcilicet unicus Deus per Deiſtas, ſibi ſufficiens, beatus, independens, & Creaturis opus non habens: unde nec noſtra ſcelera eum offendunt, nec ullam apud ipſum promeremur gratiam: nihil eum noſtra tangunt, ideoque nullam curam, nullam Providentiam de Creaturis habet; ſed omnia caſu, fortuna, fatali neceſſitate contingunt: unde Lucretius de grege Epicuri, ſcripſit [a]:

Omnis enim per ſe Divum natura neceſſe eſt
Immortali aevo ſumma cum pace fruatur,
Semota a noſtris rebus, ſejunctaque longe.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
Nec bene promeritis capitur neque tangitur ira.

III.

Eſt in Deo ſuprema de rebus omnibus, ne quidem viliſſimis exceptis, providentia, qua omnia gurbernat, atque ad conſtitutum ſibi finem ſapientiſſimo manuducit conſilio. Probatur haec propoſitio ſequentibus rationibus. Omnes ac ſingulas Creaturas Providentia ſua gubernat Deus, quoties Creaturae ipſae ex ſe, atque independenter a Deo nullum finem valeant conſequi: ita res ſe

[a] *Lib. I. v. 57. & ſeqq.*

ſe habet. Etenim ut Creaturae finem aliquem ſive generalem ſive particularem ex ſe ipſis valerent aſſequi, ea omnia ponere deberent media, quae ad illum conſequendum ſunt neceſſaria. Sed quomodo ejuſmodi media ponere valebunt Creaturae, ſi fines ipſi externi prorſus atque contingentes eis ſunt, adeo ut poſſint eſſe & non eſſe, uti ſe habent Creaturae ipſae; niſi prius actione ſua applicentur atque diſponantur a Deo? Solus igitur Deus in cujus manibus ſortes Creaturarum poſitae ſunt, dat hujuſmodi media, ſimulque ad ſuos fines aſſequendos Creaturas ipſas ſapientiſſimo conſilio atque providentia manuducit ac dirigit. Hac inſuper Providentia reſpectu Creaturarum demta, ſimulque ipſis earum regimine & gubernio conceſſo; nec dependentia omnium maxima creata ipſa penderent a Deo, nec ſupremum Deus in creatis haberet dominium, ut per ſe eſt manifeſtum. Evincitur quoque id nedum ex natura hominum phyſica, quae ſummi Dei aperte providentiam praedicat; bene vero ex conſtanti Coelorum, Planetarumque motu atque ordine, quibus anni tempeſtates imperturbata lege excurrunt, ex mirabili partium Univerſi armonia ac diſpoſitione, qua nec aquae fines tranſeunt ſuos, nec Tellus ab eo loco movetur, quo Deus eam conſtituit: ex Regnorum origine atque interitu; humanarum rerum viciſſitudine, quae magnorum etiam Virorum cogitationes & conatus prorſus ſuperant, atque excedunt. Quid enim magis fortuitum videri nobis poteſt, quam Joſephi a Fratribus Iſmaelitis Mercatoribus venundatio;

datio; ejus captivitas, & subinde ad Aegypti solium elevatio? tamen divina id ordinatum Providentia, est Joseph ipse Fratribus testatus his verbis [a]: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum . . . Vos cogitastis de me malum: sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in praesentiarum cernitis, & salvos faceret multos populos.* Idipsum pariter de singulis Mundi hujus vicissitudinibus & calamitatibus dicendum est. Licet enim iniquorum conatus ipsis plerumque ad tempus ex voto succedere videantur cum potentia praevalent, id tamen haud diuturnum est, & prosperitas illa multis adversitatibus ac afflictionibus persaepe temperatur. Nam plerique vel in ipsis exordiis, vel in progressu, cum se plane firmos & securos existiment, miserrime evertuntur. Videre id est primo in celeberrimis Monarchiis, quae suis temporibus maxime floruerunt: Assiriorum namque Monarchia eversa est a Chaldaeis; Chaldaeorum a Persis & Medis; Persarum a Graecis; Graecorum a Romanis, & Romanorum nunc mire attrita, & ad magnas angustias redacta. Deinde in singulis Monarchiis quantae extitere calamitates & clades eorum etiam qui potentissimi videbantur? Nabucdonosor in summa prosperitate post tot Gentes subactas & eversas, repente coelesti sententia perculsus ad loca deserta & ferarum vitam ablegatur; Balthasar ejus nepos dum lascive cum impudicis mulieri-

lieri-

---

[a] *Genes. Cap.* 45. 50. *v.* 8. 20.

lieribus comessaretur, manum in pariete haec verba scribentem vidit, *Mane Tecel Phares*, quae Daniel interpretatus, mortem ipsi imminentem praedixit: ipsa autem nocte a suis occisus est, ejusque Regnum a Medis & Persis occupatum. Cyrus Persarum Medorumque Rex cum bellum Scythis intulisset, a Tomyre Scytharum Regina insidiis compositis, necatur. Xerses Rex Persarum, qui decies septies centenis hominum millibus Graeciae bellum intulit: victus tamen ad Thermopylas a quatuor hominum millibus; sicuti pariter a Themistocle cum quo aliud navale certamen tentaverat; demum cum se otio ac luxuriae tradidisset, ab Artabano Praefecto suo in Regia est interfectus. Alexander tandem Rex Macedonum Persis superatis, aliisque pluribus Regnis brevi tempore subactis, juvenis & absque haerede moritur; suisque Ducibus Regna parata divisis, qui paulo post mutuis cladibus se se confecerunt, & Romanis in praedam cessere [*a*]. Sed nimius forem si omnia dicere vellem quae Deo sapientissime dirigente, & justissimis de causis disponente vel permittente in Mundo evenerunt, & hodie contingunt, ut proinde sciant & videant Gentes, quod ipse est [Deus] Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui dissipat consilia Gentium, reprobat cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum

[a] *Vid. Less. de Provid. lib.* 1.

pum... Consilium autem Domini in aeternum manet.

Mirabilis tandem haec Dei Providentia vilissima quoque atque minima respicit; ita ut Deus sicuti est magnus providentia sua in magnis, ita in minimis non est parvus. Quid namque vilius insectis, levius floribus, herbisque camporum? Et tamen de his omnibus quoque providentiam habet Deus: cum enim haec suum finem assequi nequeant, divinae subjici providentiae, nemini dubium. Nec eorum vilitas obstat aliquid, ut Dei providentia indigna dicamus: si namque ea creavit Deus absque dignitatis suae nocumento; eccur non illa gubernare dicendum erit?

IV.

Hominum bonorum calamitates, miseriae, aliaque hujusmodi; sicuti malorum hominum prosperitates & gaudia divinam tollunt providentiam. Si enim mundanis in rebus aequissimi Numinis providentia adesset, omnia haec inordinata prorsus & injusta profecto in Mundo haud intuerentur.

Resp. Est haec cantiuncula illa, quae saepe in libris Hebraeorum, Graecorum, Latinorumque legitur; ad quam sane elidendam non est multum laboris. Et primo, infelices homines magnis calamitatibus oppressos, nonnisi humanae historiae ignarus denegabit. Non sunt praeterea ex faciei hilaritate impii judicandi, sed eorum

pecto-

pectora si pandantur, omnium miserrimos profecto inveniemus. Quid namque infelicius, mala conscientia dilacerari, quae prima & maxima ultio extat? Boni etiam non semper, uti adparent, boni sunt: eorum corda autem abdita nobis cum sint, ob occulta peccata poenis affici, censendum est. Et dato etiam, bonos homines miseriis in hoc Mundo afflictari, maximum est id divinae Providentiae argumentum, quae ideo per ignem & aqnam, afflictiones & angustias bonos transire facit, ut educat eos in refrigerium. Purgantur hoc pacto boni a peccatis sive actualibus, sive habitualibus: patientia, humilitate, aliisque virtutibus decorantur, sicut decet servos Dei. Postremo si diverso modo res eveniret, posset bonus Mundi hujus extolli felicitatibus, & nunquam manum Dei atque providentiam recognoscere, quae omnia in omnibus operatur: posset pariter iniquus nullam futuram esse poenam opinari, cum in hac vita poenas ei debitas lueret.

Si humanis rebus, instant Deistae, providet Deus, nostraque mala eum tangunt, eccur nos felices haud condidit? Si itaque infelices existimus, dicendum, Deum vel non potuisse, vel noluisse tot mala auferre, quae infelicitatis humanae causa existunt: primum divinae opponitur Omnipotentiae, secundum Dei tollit bonitatem; utrumque Providentiam.

Resp. Soluta remanet haec exceptio ex iis, quae adversus Baelium disputando [Cap.VII.] de malorum diximus origine. Scilicet cum mala

la

la physica in praesenti rerum ordine totidem bona sint Universi hujus pulchritudinem spectantia, improprie mala dicuntur, ac proinde tollere ea Deus nequit. Restant autem mala moralia, quae cum nonnisi libertatis humanae abusus effectus extent, nequit sane ea tollere Deus absque humani arbitrii nocumento. Non ergo Deus minus potens, quia tollere haec mala nequit: nec minus bonus, cum melius judicaverit de malis bona facere, quam nulla mala in Mundo permittere. Sic non adesset patientia justorum, persequentium furore abducto; nec esset justitiae locus, si delicta non essent.

A D
THEOLOGIAM NATURALEM
APPENDIX:

In qua I. *de Religione Naturali* . II. *de Divina Revelatione* , III. *tandem de Christiana Religione differitur*.

I.

INnumera ac infinita prorsus beneficia ea esse, quibus a Deo O. M. quotidie cumulamur , sive Conservationem spectes, sive Concursum, sive Providentiam , a nobis superius observatum . Videndum modo, quid nos homines, aliqua saltem ex parte , erga Deum Benefactorem summum efficere debeamus , sana ratio praescribit . Dixi aliqua saltem ex parte: cum enim Ethicorum sit, officia hominis erga Deum jure suo explicare; ne in aliorum messem manus immittamus , pro Theologiae Naturalis complemento , Religionem Naturalem tantum , Divinam Revelationem, & Christianam Religionem heic exponemus explicabimus.

Nihil homini culto tam utile, tamque necessarium hisce praesertim temporibus adstrui debet, quam

quam Religionis ſtudium. Magna etenim peſtilentiſſimorum librorum colluvies quadraginta ſignatim ab hinc annis Italiam noſtram invaſit, atque invadere non ceſſat, magno cum Librariorum noſtrorum emolumento, Religionis autem detrimento maximo. Quanta mala non patratur hodie ſolus Mirabaud (a), cujus exemplaria in regionibus his noſtris frequentiſſima ſunt? Optandum ergo atque curandum, ut Religionis ſtudium ubique dilatetur, ſicuti ubique dilatantur perditorum hominum deliria cum humanarum animarum pernicie ſumma.

Eſt *Religio* in genere cultus ſummi amoris, ſummi obſequii, ſervitutis ſummae ei exhibitus, cui jure debetur. Quae vel *naturalis* eſt vel *revelata*. Religio naturalis ea definitur virtus, qua homo ex humanae divinaeque naturae contemplatione se obligatum atque deviċtum cognoſcit ad debitum honorem & cultum Deo exhibendum, quod natura ipſa per reċtae rationis uſum ſuggerit, praeſcribit, mandat. Revelata autem Religio ea dicitur, quam Deus hominibus per externam ſignificavit revelationem. Non eſt Religio generice ſumta cum *Pietate* confundenda, ut nonnulli inconſulto faciunt, dum hominem pium & religioſum promiſcue accipiunt: Pietas namque internas ſolum hominis aċtiones amoris, venerationis, obſequii importat; Religio vero ne-

(*a*) *Syſteme de la Nature.*

dum internos, sed externos quoque amplectitur pietatis actus.

Atheismus & Superstitio e diametro Religioni opponuntur. Atheismus cum Divinitatem inficietur ac plane rejiciat, omnem pariter Religionem subvertere est per se manifestum. Superstitio autem falsam Religionem pro vera obtrudit, atque definitur ideo cultus ei exhibitus cui minime congruit; vel ei exhibitus modis ritibusque illicitis: Superstitio itaque duplex est, aut vetitus verae Divinitatis, aut falsarum Divinitatum ut verarum cultus. Quotuplex sit Atheismus, alibi diximus (Cap. I. Theol. Nat. n. III.). Et quoniam adversus Politichistas aliosque Incredulos agendo [Ibid. Cap. III. n. V.], satis superque probavimus, Dei ideam a callidis Legumlatoribus ut efferatos populos Numinis metu in obsequio continerent, minime excogitatam; sicuti eandem haud exortam e timore phoenomenorum aeris: consequens legitimum est, neque Religionem ab iisdem causis originem recognoscere suam. Restat ergo ut contra Epicureos, Hobbesium, Helvetium, Baelium, Militarem Philosophum, aliosque Religionis in genere sumtae acerrimos hostes primum arma vertamus; adversus Deistas & Naturalistas secundo pugnaturi. Volunt itaque supradicti homines, Religionem privatis hominibus, eorumque naturali Societati noxiam penitus esse atque inimicam: imo Baelius eo impietatis devenit, ut civili Societati minime utilem eandem asseruerit.

Quod autem Religio & singulis hominibus & eorum

eorum naturali Societati utilis quammaxime ſit & ſalutaris, ſequentes rationes manifeſtant. Et quod primam propoſitionis partem attinet, ſingulos homines ad beate feliciterque vivendum naturali quodam pondere ferri, nemini dubium: atqui Religio ita hominem perficit, ut beatam vitam agat, prout praeſens rerum ordo permittit. Etenim Religio hominem docet se exiſtere ſupremi Entis beneficio, ab eoque corpus & ſpiritum, intelligentiam, rationem, libertatem accepiſſe. Eadem pariter monemur, ſapientiſſimum vitae noſtrae Dominum Deum omnibus ſingulisque hominibus praecipere, ut vitam cuſtodiant, eaque omnia media adjiciant, quibus & corpus & ſpiritus perfici poſſint: virtutum & morum praecepta mandat, ad quorum obſervantiam nunc praemiorum futurae vitae expectatione jucunda excitat, nunc aeternorum ſuppliciorum metu quodammodo impellit, media ſemper ad id largiendo neceſſaria. Quibus praemiſſis, nemo niſi caecus non videt, Religionem haec nobis jubendo, perfectiores ac feliciores nos reddere, tum amore Dei Conditoris noſtri, quem excitat; cum praeceptis, quibus virtutes omnes animum & corpus ſpectantes aſſequi mandat, atque praeſcribit. Non privatis hominibus ergo inimica ac noxia, ſed amica prorſus, quammaxime utilis, & ad beatam vitam manuducens eſt Religio autumanda.

Inſuper ejuſmodi quoque eſt Religio reſpectu naturalis hominum Societatis. Nam ſummum ac maximum naturalis hominum Societatis bonum

in securitate consistit, qua quisque certus est atque tutus se ab aliis hominibus fraterne amari, ab ipsis mutuis in conventionibus non decipi, eorumque auxilio tandem frui, semper ac inimica sors postulabit atque necessitas: sed Religio omnibus singulisque hominibus haec omnia mandat, dum omnes jubet, ne aliis faciant, quod sibi fieri non velint: naturali ergo hominum Societati est quoque utilis atque amica Religio.

Contra in statu hominum naturali, Religione abducta, nulla lege, nulloque amoris vinculo erga alios se obstrictos putarent homines, pacta non servarent, sed quisque sola utilitate ac voluptate moveretur; sola voluptas ac proprium emolumentum justitiae & aequitatis regula foret, juxta Horatii illud:

Atque ipsa utilitas justi prope mater, & aequi.

Ubi tunc securitas? ubi pietas? ubi amor? trepidaret semper homo eo in statu, & merito, ne datam fidem violaret amicus, ne bona propria inimicus subriperet, ac vitae etiam insidiaretur, dummodo propriae utilitati ac voluptati adversa: Pater filios non educaret: Filii Patres haud colerent, imo occasione data morti traderent propriae utilitatis ratione: Princeps haud foret de suo sceptro securus: leges omnes inanes, solaque vi subjectos populos in officiis contineret; quid plura? homo homini inimicus esset, Religione ablata, aeternum bellum in Mundo foret; proindeque nullum bonum, nulla felicitas.

Civili tandem Societati plurimum Religio prodest,

dest, & hac remota, illius vinculum quoque ac fundamentum evertitur. Est siquidem civilis Societas vinculum quoddam, quo Princeps & populi ligantur ad bonum commune Reip. procurandum. Obstrictum scilicet se praebet Princeps, vinculo hoc stante, ad suos populos justis legibus, rationique consonis gubernandos, eorum securitatem curandam, praemiis fideles Cives, poenis vero legum fractores afficiendo. Contra autem populi, Principis sui legibus obedire, ejus vitam conservare, omniaque ad vitam ipsam necessaria suppeditare tenentur: sed vinculum hoc civilis Societatis frangitur omnino, Religionem si tollas. Haec siquidem ea est, qua media jurejurando coram Deo judice & teste obstringuntur Princeps & populi ad pacta servanda, & bonum Reip. commune, privata utilitate seposita, unice procurandum. Haec mutuam hujusmodi obligationem fovet, & hac demta, nec Princeps nec populi se obligatos crederent ad promissa custodienda, & debita officia praestanda. Timor duntaxat potestatis in obsequio Cives contineret; & civilis Societas internis vexaretur pugnis, donec populorum praevalente fremitu, e fundamentis everteretur. Sunt haec per se se tam manifesta, ut Ethnicorum sapientiores cum Tullio (a) adserere non dubitaverint, Religione abducta, con-

(a) *Lib. 2. de nat. Deor.*

fusionem & chaos in Mundo adesse, mores etiam, probitatem, Societatem civilem, ipsamque *Justitiam*, quae virtutum omnium excellentissima est, tolli necessario.

Ex his omnibus deducere facile est 1., delirare prorsus Lucretium & Baelium cum suis fautoribus, dum feliciores homines dicunt in irreligionis statu, quam nunc sunt sub Religione: anxia enim, ajunt, alterius vitae turbati homines, omnia videns ac puniens supremum Numen pertimescunt; qui metus cum perpetuo eos angat, perpetuo miserrimos reddit. Sed delirant, ut iterum dicam, dum ita loquuntur. Sane Numen hoc supremum nec utilitatem suam in Creaturarum gubernio spectat, nec Tyrannorum more dominatur, sed Parentem optimum atque amantissimum se praebet, simulque omnes homines vult salvos fieri. Deinde Religione semel admissa, homines summi Dei sapientiam, amorem, providentiam secum meditantes, in prosperis gratias Deo agunt, in adversis vero alacres vivunt, futurorum bonorum spei unice haerendo. Secus autem impii & in prosperis & in adversis miserrimi existunt: in prosperis quidem, cum praesentem vitam tantum admittant, malorum physicorum praesentia, & mortis expectatione torquentur; in adversis vero nullum habent fortunae suae praesidium. Inferendum 2., Atheorum vitam omnium miserrimam esse. Enimvero Religionis praecepta, quaedam instrumenta esse, quorum usu perficitur homo, & ad tran-

quil-

quillam vitam manuducitur, supra probavimus: Athei autem Religionem spernendo instrumenta haec negligunt, vitiis omnibus habenas laxant, ideoque & Dei & hominum iram atque odium post se trahunt: quid ergo eorum vita excogitari infelicius potest? nihil sane.

Petrus Baelius ut Religionem civili Societati minime utilem evincat, ad honestatis & virtutis ideam confugit, quam sibi homines fingant ex contemplatione finis Societatis, quaque obstrictos se credant ad promissa servanda, ac reliqua adimplenda Societatis munia. Sed in hoc minime consistit verum civilis Societatis vinculum, vera obligatio. Si enim homo a se ipso obligaretur per propriam cogitationem ad promissa servanda neminem profecto agnosceret cui suarum operationum rationem redderet, & a quo reprehendi ac puniri posset, si pacta violaret. Cui accedit, si homo seipsum promissis ligare liberrime potest, honestatis nimirum & virtutis gratia; etiam liberrime solvere semetipsum potest, ut cuique manifestum: quae sane non obligatio, sed obligationis umbra est.

Religio itaque cum tot bona in se contineat; tum respectu naturalis, cum civilis Societatis, nonnisi a Deo originem repetit suam, qui primis Parentibus eam indidit, ac per traditionem propagata, ubique Terrarum diffusa est. Nulla etenim adinvenitur Gens in societate constituta, sive antiquam sive novam historiam legas, quae Religione caruerit. Doctis & laboriosis lucubrationibus argumentum hoc tractarunt inter alios

Augustinus Steucus Eugubinus (*a*), Petrus Daniel Huetius (*b*), Radulphus Cudworthus (*c*), Gerardus Vossius (*d*), nec non Auctor Historiae Philosophicae Paganorum. Nos pauca afferemus, quae propositionem nostram confirmabunt. Et quod antiquiores populos attinet, Religionem aliquam eos habuisse, testantur vetustatis sapientiores Thales Milesius, Pythagoras, Plato, Aristoteles, Dion Chrysostomus, nec non Julianus, qui omnes persuasos adfirmat (*e*), Numen aliquod adesse, animumque nostrum sic se habere ad Deum, ut visu praedita ad lucem. Consentientes insuper habemus eas potissimum Gentes, quae summis laudibus ab historicis celebrantur, Persas nimirum, Assyrios, Chaldaeos, Aegyptios, Graecos, Romanos; hi enim licet vitioso more Solem & Ignem ut Deos colerent: esse tamen vim & Naturam divinam, ideoque Religionis principium, semper fassi sunt, atque tenuerunt. Jure hinc meritoque Plutarchus in Colotem Epicureum Philosophum disputans: facilius esse, ait, Orbem peragranti invenire urbes sine maenibus, sine litteris, sine gymnasiis, theatris, sine Principe; quam urbem sine Templis, sine Diis, sine

(a) *De perenni Philosophia*.
(b) *Alnet.* qq. lib. II.
(c) *System. Intell.* tom. I.
(d) *De Idololatria*.
(e) *Epist. ad Heracl.*

sine oraculis, sine precibus: immo facilius est aedificari posse sine solo urbem, quam posse Civitatem cogi, atque subsistere, Deorum fide sublata.

Ad Gentes nunc hac nostra quoque aetate cognitas, descendamus. Cultas omnes atque in civili Societate viventes Europae nostrae, nec non Asiae, Africae, atque Americae Nationes Religionem habere suam, clarius est, quam ut probatione indigeat. Innumerae enim sunt Viatorum fide dignorum relationes, sicuti & complurium Scriptorum volumina, in quibus harum Gentium Religiones atque mores fideliter distincteque notantur ac exponuntur. Videri inter alios potest Gallus Scriptor Jovet, qui in sua Religionum historia fuse accurateque argumentum hoc pertractat. Restant itaque solum barbarae Gentes, Cafri nimirum, Hottentoti, aliique, quos absque Religione Baelius cum suis dicit, atque defendit. Verum quod Cafros spectat, atque Hottentotos, qui circa regionem Capitis bonae spei degunt, dicimus, majorem illorum partem Christianam profiteri Religionem, paucis exceptis populis, qui quasdam solummodo caeremonias in Plenilunio observant. Hottentoti vero, quamvis nullam mundanae creationis notitiam habeant, Deum tamen colunt, cui litant etiam juxta proprias necessitates (*a*). Caeterum quamvis

(a) Vide Jovet *Storia delle Relig. Ediz. Napol.* tom. VI. pag. 174.

vis aliquos esse aut in Archipelagi insulis inter Moluchas & Manidas, aut in novae Zemblae specubus, aut in Groelandia sylvestres homines omni Religione carentes, concedatur Baelio ejusque asseclis; nostrum tamen argumentum non ideo infirmatur, tum quia ejusmodi hominum Religionis relationes accuratae esse nequeunt; tum quia de populis in civili Societate constitutis in praesentia sermonem facimus.

II.

Existit ergo Religio naturalis, estque tam naturali, quam civili hominum Societati quammaxime utilis. Ad hoc autem ut homo veritates tum naturales, ad Religionem spectantes, cum supernaturales, humanum captum excedentes, dignoscere possit, divina insuper Revelatione indiget homo ipse. Negant id ex recentioribus Naturalistis praesertim Tyndal, Collinsius, Chubb, Woolstonus; nec non Auctores liberculorum gallice inscriptorum: *Le Telliamed: La Religion des Dames: Lettres Juises: Les Moeurs: La Princesse des Malhabar: L'Examen de la Religion: Le traité de la Raison humaine &c.*, qui humanam rationem ita extollunt, ut quacumque posthabita revelatione, & naturam nostram perficere, & ad beatam nos ducere immortalitatem peroptime possit, ac valeat. Quid divinae Revelationis nomine veniat, superius dictum est: nunc ita propositionem nostram probamus. Veritates naturales ad Religionem spectantes, sunt existentia Entis supremi,

premi, aeterni, a se, immutabilis, providentissimi &c.; sicuti & animae humanae, ejus spiritualitatis, immortalitatis, libertatis &c.; nec non tandem veritates illae, quae spectant ad regulam morum, quaeque dicuntur etiam praecepta naturae: atqui sine revelationis subsidio homo veritates has dignoscere nequit. Etenim si omnes homines ad examen revocemus, permultos inveniemus, qui vitae necessitatibus dediti, harum veritatum studio vacare nequeunt; plures, qui disquisitionem hanc accurate instituere non valent; multos tandem, qui ea praediti haud sunt mentis perspicacitate, ut huic examini resistere possint: necessarium igitur est, ut per modum legis revelatae hae veritates hominibus promulgentur; ideoque Religio naturalis quamvis vera & sancta, non sufficit tamen, quia non integra.

Adsertionis hujusce veritas clarior fiet ex Philosophorum, & quidem majoris notae exemplo, qui licet praestantes atque sublimes doctrinas habuerint, tamen ne unus quidem ipsorum adinvenitur, qui de Deo, sicuti & morum praeceptis non erraverit. Epicurei namque & Stratonici vel summi Dei existentiam inficiati sunt, vel summam ejus Providentiam. Deum natura igneum opinabantur Stoici, & complures alii: vel fato adstrictum, vel necessitate operantem putabat Aristoteles. Quoad morum praecepta allucinatus est divinus Plato, dum uxorem communionem, sicuti & fornicationem probavit, atque permisit. Erravit quoque Epitectus ipse, cujus innumera extant Ethicae praecepta, incestum, simulque Ma-

Matris, & Filii, Patris, Filiaeque concubitum permittendo. Videri potest hac de re Plutarchus (*a*), qui antiquorum Philosophorum quoad Divinitatem, morumque praecepta opinamenta, seu melius deliramenta exponit. Horum permulti, ait Diodorus Siculus (*b*), Mundi aeternitatem praedicabant, humanumque genus ab aeterno extitisse, sicuti & Mundum ipsum, arbitrabantur: alii vero contendebant, particulas seminis ubique diffusas, & vi caloris foecundatas, hominibus & animalibus nativitatem dedisse. Alterius generis absurda penes Phoenicios disseminavit Sanchoniathon, quae videri possunt apud Eusebium (*c*). Graecorum tandem Cosmogonia ab illa Egyptiorum, atque Phoenicum parum vel nihil ferme differt, non quoad substantiam quidem, sed quoad absurditates, & perridiculas ineptias, quibus repleta comperitur (*d*). Ut homo igitur veritates naturales ad Religionem spectantes cognoscere possit, divina revelatio est ei necessaria autumanda.

Sed & eadem revelatione, immo potiori jure, eget homo ad veritates supernaturales noscendas, cujusmodi sunt divinae Proprietates, quae nullam cum creatis rebus relationem dicunt, eaque omnia, quae a Dei libera voluntate pendent. Sane

demus

[a] *De Placit. Phil.* 18.
[b] *Lib.* 1.
[c] *Praep. Evang. lib.* 1. *cap.* 10.
[d] *Plutarc. ibid. lib.* 1.

demus posse hominem naturali lumine eas cognoscere Dei proprietates ac perfectiones, quae cum creatis rebus relationem habent, justitiam nimirum, providentiam, gubernium &c.; simulque ex hujusmodi cognitione inferre, cultum aliquem Enti huic supremo tribuendum in servitutis atque obedientiae signum: sed quomodo Dei abducta revelatione, noscet homo liberam ejus voluntatem, certusque erit, se illi hoc modo gratum cultum reddere, debitam observantiam? Semper anceps atque dubius erit homo, & nunquam dignoscet num cultus, quem Deo reddit sit ei gratus inter tantam cultuum varietatem, quae in Gentibus observatur. Necessaria est ergo Revelatio, ut digne de Deo sentiamus; simulque ut verum & debitum cultum eidem praestemus, quem nobis placuit revelare: secus namque si hominum arbitrio cultus hic committeretur, tot ritus, tot ceremoniae in Mundo darentur, quot homines.

Insuper necessaria homini est revelatio rationis, qua peccator se cum Deo conciliari possit, ejusque consequi deperditam gratiam: haec ratio sane, hic modus adeo humanae disquisitioni abditus est, ut sine revelatione sciri haud possit. Opus tandem habet homo, ut Deus consilia sua ei patefaciat circa praeteritam, praesentem, & futuram vitam. Quomodo enim homo, revelatione dempta, cognoscere poterit, se creatum fuisse a Deo innocentem, atque infinitis aliis praeditum dotibus, quibus tranquillam vitam agere potuisset, si in primaevo innocentiae statu per-

perduraſſet? Nihil pariter dignoſcere poteſt homo circa praeſentem vitam abſque revelatione; quaenam media ſcilicet apta ſint atque neceſſaria ad expianda peccata, ad poenas declinandas. Poſtremo haud valet humana ratio aſſequi, quae Dei conſilia ſint circa praemium & ſupplicium in altera vita humanis animabus dandum; ſicuti & modum, quo a poenis futurae vitae poſſimus in praeſenti ſtatu liberari. Ergo opus habet homo divina revelatione, ut veritates ſupernaturales dignoſcere valeat.

Naturaliſtae ut revelationem inutilem ac ſupervacaneam demonſtrent, ajunt, duorum mille & quinquaginta annorum ſpatio nulla alia fuit in Mundo Religio, quam Religio naturalis: hinc vel Religio haec ſufficiens tunc erat ad naturales & ſupernaturales noſcendas veritates, vel non: ſi primum; inutilis ergo revelatio: ſi ſecundum; defectus ergo hic divinae tribuendus ſapientiae.

Reſp. Nullum incommodum dilemmate hocce theſis noſtra patitur. Siquidem verum eſt, & nemini dubium, Religionem naturalem ſemper ſanctam, utilem & neceſſariam, ſicuti nunc eſt, fuiſſe; ſed falſum ex altera parte, homines aliquando unicam hanc regulam, h. e. Religionem naturalem habuiſſe, qua cultum Deo redderent, omni revelatione ablata. A principio namque revelavit Deus homini hunc cultum, debita haec, ſimulque veritates ejus ſaluti neceſſarias, quarum doctrinam ſola revelatione media habere poterat. Vel ab ipſa Mundi hujus nativitate homines ſacrificia Deo obtulerunt, ſimulque nulla adinve-

nire

nire est Gens, quae sacrificia propria non habuerit. Sic a remotioribus temporibus incipiendo scimus Adae filios Deo victimas obtulisse, sicuri & Noe natos idipsum post diluvium effecisse. Quae sane sacrificia peculiari modo filiis hominum a Deo praecepta fuere, ut ex vetustioribus monumentis infertur invictissime (*a*). Praeterea vel ab ipso Mundi exordio Sabbati sanctificatio hominibus nota fuit, quam Deus in signum cessationis a suis operibus stabilivit. Sabbatum sanctificare mementote, h. e. diem septimum, legitur Exodi libro; cum hac die completa sit Universi creatio, & Homerus, Clemens Alexandrinus (b), Hesiodus, & Solon fatentur.

Necessarium erat igitur ut Deus humano generi loqueretur, & revera multifariam, multisque modis olim loquutus est Patribus in Prophetis: & novissime diebus istis loquutus est nobis in Filio, contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus secundum suam voluntatem (*c*). Quae doctrinae veritas ut magis magisque pateat, adserimus 1. nonnisi Deum posse futura cognoscere, eaque praedicere quae a libera quoque hominum voluntate pendent. 2. Naturae Auctorem solummodo Naturae ipsae jubere posse, ejus leges suspendere, nec

(a) *Genes.*
(*b*) *Strom. lib.* 5.
(c) *Ad Hebr. cap.* 1. 2.

nec non vera patrari miracula. 3. Nonnisi Deum ea efficere posse, quae naturaliter & moraliter difficultates insuperabiles continent. Prima adsertio prophetias respicit; secunda, miracula; tertia tandem supernaturale exitum; quae tres sunt divinae revelationis probationes robustissimae.

Revelatio veteris & novi Testamenti libris continetur: hi autem libri evidentissimis repleti sunt prophetiis: necessum est ergo ut a Deo inspiratae dicantur. Revera quis nisi Deus viginti saecula ante infallibiliter vaticinari potuisset *Messiae* vitam, tempus, ejus nativitatis locum, qualitates, virtutes, miracula, mortem, resurrectionem, victoriam, omnimodam Idololatriae, & falsarum Divinitatum eversionem? Totum hoc autem vaticinatum est a Prophetis, & videri potest in Scripturis sacris.

Insuper quo pacto Daniel quasi quinque saecula ante perbelle agnovit atque vaticinatus est Christi Jesu Servatoris nostri mortem, Hebraeorum reprobationem, Jerusalem, ejusque Templi eversionem, Judeae desolationem, nec non Judaici Populi constantem dispersionem? Haec omnia tamen nobis praedicit Daniel sequentibus verbis (*a*): „ Post hebdomadas sexaginta duas occidetur „ Christus, & non erit populus ejus, qui eum „ negaturus est; & civitatem & sanctuarium dis„ sipabit populus cum Duce venturo, & finis „ ejus

(a) *Dan. IX. 26.*

„ ejus vastitas, & post finem belli statuta deso-
„ latio . . . & erit in templo abominatio deso-
„ lationis, & usque ad consummationem perse-
„ verabit desolatio „. Qui successus a Daniele vaticinati statutis temporibus evenere, ut Josepho, Tacito, Svetonio, aliisque illius saeculi Scriptoribus affirmatum. Idipsum de ceteris autumandum prophetiis, quae Regnorum spectant eversionem, quaeque uti praedictae fuere, evenerunt postea.

Hoc ipsum tandem confirmare placet ex novi Testamenti prophetiis, ex illa praesertim in qua Christus Jesus sex dies ante mortem suam super Jerusalem flens, ejus vaticinatur sortem, cui non post multos dies subesse debebat: „ Veniet dies,
„ inquit (*a*), in qua inimici tui circumdabunt
„ te vallo, & coangustabunt te undique: & ad
„ terram prosternent te, & filios tuos, qui in
„ te sunt; & non relinquent in te lapidem su-
„ per lapidem „. Quod sane vaticinium infalliter evenisse nonnisi in sacris Litteris ignarum latere potest. Et veteris itaque & novi Testamenti Libri revelationem continent divinitatis sigillo firmatam, quod in prophetiis deprehenditur.

Quae Prophetarum vaticinia memorata atque confirmata reperimus a profanis Scriptoribus quoque, qui Regnorum historias ante Christum scripserunt. Nam quidquid ab Isaia quoad Na-

(a) *Luc.* 19.

bucdonosor gloriam atque victorias vaticinatur, exponitur etiam a Beroso Chaldaeo historico, qui aliquot saecula ante Christum vixit. Quod Danielis spectat vaticinium quoad Persarum, Graecorum, Romanorumque vicissitudines, memoratur quoque a Scriptoribus Graecis atque Latinis. Nonnisi ergo stulte de Prophetarum ambigitur vaticiniis, quae a Deo ipsis fuere revelata.

Sicuti prophetia evidentior demonstratio est divinae infallibilitatis, ita miraculum sermo est infallibilis Dei omnipotentiae. Sane mortuorum excitatio, caecorum illuminatio, loquutio mutorum, aliaque id genus prorsus infinita, nonnisi omnipotentem Dei manum recognoscunt atque manifestant. Sed haec omnia fuisse a Deo patrata & Hebraei & Gentiles ipsi Christianae Religionis infensissimi hostes fatentur. Etenim major miraculorum copia in Judaea fuere a Christo peracta, Hebraeis ipsis cernentibus. Horum autem doctiores cum ipsis reluctari nefas excogitarent, fassi sunt quidem in eorum Talmude (*a*), Christum patrasse miracula, sed magica arte id effecisse, simulque ejusdem artis causa morti fuisse traditum. In propatulo est ergo, Hebraeos nunquam Christi negasse miracula, licet de modo acriter disputaverint, quod minime nobis officit.

Gen-

(a) *Sanhed. Sepher. Toldos. Jerchu.*

Gentiles quoque ſicuti Hebraei in eadem fuere neceſſitate Chriſti admittendi miracula, quamvis quoad modum quoque varia atque varia opinarentur, atque adfirmarent. Apoſtata Julianus omnium primus licet a Chriſto patrata miracula ſubſannare videatur [a]; tamen fateri cogitur, Chriſtum Daemoniis imperaſſe, inceſſiſſe ſuper aquas, aliaque mirabilia prorſus effeciſſe. Idipſum de Celſo, Hierocle, aliiſque autumandum eſt, qui miraculorum veritati obſiſtere haud patientes, delira prorſus adverſus ea protulerunt adſerta (*b*). Chriſti ergo miracula altera probatio inviĉtiſſima ſunt divinae Revelationis, ejuſque certitudinis. Inferendum hinc nonniſi perridicula atque injuſta eſſe quae adverſus miracula Voltaerus, Dumarſais, Voolſtonus, aliique proferunt diĉteria atque blaſphemiae.

Remanet tandem ultima divinae Revelationis probatio, h. e. ſupernaturale exitum Chriſtianae Religionis. Ad hanc firmandam veritatem ratiocinio utar doĉtiſſimi Angli (*c*), cujus verba ita italice expreſſa leguntur penes librum inſcriptum: *Dizionario Filoſofico della Religione ec. Prim. Ediz. Nap.* (*d*) „Se v'è coſa, *ait*, che ſigilli con evi-

(a) *Apud Cyr. lib. 6.*

(b) *Vid. Orig. in Cel. lib.* 1., *nec non Euſeb. in Hierocl.*

(c) *Difeſa della Relig. tom.* 1.

(d) *Verb. Rivelaz. pag.* 275.

„ denza la divinità di una Rivelazione, è cer-
„ tamente l'esito del suo stabilimento; qualor
„ tutto ci manifesti una direzione superna di
„ Provvidenza, la quale si serve de' mezzi più
„ deboli per trionfare delle opposizioni più for-
„ ti; e si può dire per questo Capo che la fon-
„ dazione della Chiesa Cristiana fece vedere al-
„ la Terra, una delle Opere più ammirabili,
„ che il Cielo mai ci abbia fatto. Che cosa è
„ il Vangelo? Una Religione che offende le
„ passioni, che ribella la carne e il sangue,
„ che scandalezza l'Ebreo, che sembra folle al
„ sapiente Gentile, che ha contro di se tutti i
„ pregiudizj, tutto il credito, tutto il potere;
„ che solleva dappertutto la moltitudine, i Sa-
„ cerdoti, i Filosofi, i Principi. Chi son colo-
„ ro che la predicano? Un piccol numero di
„ persone di oscuri natali, senza educazione, sen-
„ za lettere; che per nessun titolo si meritano
„ la stima del Mondo; per ogni verso spregie-
„ voli, e destituti eziandio di tutte le grazie
„ della eloquenza mondana. E pure, chi il cre-
„ derebbe? Persone di tal carattere destinati a
„ promulgare una Religione sì incomoda, la
„ pubblicano tuttavia, la fanno rispettare, la
„ fanno abbracciare pressochè in tutti i luoghi
„ dell'Universo. Tra le persecuzioni, l'indigen-
„ za, i supplizj arrischiano tutto per parte del
„ Mondo, e non essendo sostenuti in questa gran-
„ de impresa, che dalla speranza delle ricom-
„ pense celesti, danno tanta efficacia alla lor
„ voce, che *se n'è sparso il suono per tutta la*
„ Ter-

„ *Terra* (a). Una rivoluzione sì sorprendente, „ sì poco credibile in se stessa, sì contraria al „ corso delle cause seconde, non mostra ella il „ dito di Dio in modo tanto visibile, che bi„ sogna esser cieco per non riconoscervelo? Se „ i fatti che furono deposti dagli Appostoli non „ avessero avuto tutti i caratteri di una Reli„ gione degna di Dio, e necessaria al genere „ umano; se la loro predicazione non fosse sta„ ta sostenuta da opere soprannaturali, era egli „ possibile, che questa predicazione riuscisse a „ buon esito in circostanze sì svantaggiose, „ anzi dirò sì opposte, ch'ebbe a combattere„? Exitum igitur supernaturale Religionis Christi ultimum est atque invictissimum divinae Revelationis argumentum; ideoque nedum necessaria, verum & existens est Revelatio pronuncianda.

III.

Religionem naturalem veram quidem & sanctam, minime tamen sufficientem; simulque divinae Revelationis necessitatem atque existentiam superius demonstravimus: Christianae nunc Religionis veritatem probare operae praetium est. Ut Religio aliqua vera dici possit omnes amplecti debet divinae revelationis characteres: hi autem in sola Christi Religione reperiuntur. Ete-

 nim

(a) *Rom.* 10.

nim primus divinae Revelationis character est; hominem, qui se a Deo missum pronunciat, prudentem, justum, moribus integrum, aliisque virtutibus praeditum sit, necesse est; simulque ostendat se solo Dei amore operari, ac hujusmodi uti ministerio ad divinam gloriam augendam, animarumque humanarum salutem aeternam unice procurandam. Sed quoniam callidus homo valet quoque haec omnia simulare; oportet insuper ut probus homo, & legitimus Dei legatus infallibilia signa det divinae missionis, & Deus ipse per clara id manifestet argumenta. Signa haec sunt prophetiae comprobatae eventu, nec non miracula. Est prophetia rei contingenter futurae praedictio, h. e. quae nondum evenit, dum praedicta est, quaeque dignosci haud potuit neque ex causis naturalibus, neque ex praesenti constitutione rerum. Miraculum autem definitur effectus qui naturae vires, vel constitutum rerum ordinem excedit. His praemissis ita ratiocinamur: Christus caput est & auctor Religionis, quae ab eodem *Christiana* vocitatur: sed Christus & infinita vaticinatus est, & innumera operatus est miracula, simulque verum ac legitimum se praebuit divinae missionis legatum. Sane Christus ea aetate venit in mundum, in qua Judaei fere omnes Messiam longe antea a Deo promissum expectabant, nec non Messiam illum se esse affirmavit, quod in Christo prophetiae omnes ostenderunt invictissime. Ipse namque Vir ille fuit vitae adeo illibatae ac innoxiae, ut Judaei ipsi Messiae, quem adhuc expectant jurati hostes nihil

hil adversus eum potuerint deponere, dum judici Pilato invidia ducti morti tradiderunt damnandum: ut suam doctrinam atque missionem confirmaret, nullo usus ratiocinio, sophismate nullo, sed solis operibus, quibus credere magis, quam sibi praedicabat. Opera autem ejus fuere innumera & mirabilia; talis conversio aquae in vinum in Canae Gallilaeae nuptiis, talis visio, caecis reddita, auditum surdis, mutis loquela, quadriduanis etiam & faetentibus mortuis vitae restitutio; mortis ejus praedictio, resurrectionis a mortuis, in Coelum ascensionis, Sancti Spiritus missionis &c.; quae omnia palam & spectante multitudine patrata fuere, ut ejus Apostoli horum miraculorum actione certissimi atque persuasi, Christum Gentibus adorandum proposuerint, ejusque, suorumque operum amore, tormenta, vincula, carceres subire parati.

Nec imaginari potest a mente recta cogitante, arte magica, vel cacodaemonis ope patrata fuisse miracula illa, tum quia a Christo, ejusque Ministris vulgata doctrina malignis spiritibus adversa existit; tum quia per vulgatam atque receptam Christi doctrinam, Daemonum cultus, magica ars apud homines defecit omnino, & Deus venerari coepit cum illorum abominatione maxima.

Idipsum quoque dicendum de Apostolis Christi discipulis, in quibus supradicti characteres locum habuere suum. Equidem homines ii fuerunt nec divitiarum, nec voluptatum cupidi, sed solo Dei & proximi amore repleti, Dei gloriam

hominumque salutem unice procurantes. Quamvis rudes piscatores humanarumque cognitionum non bene informati, variis linguis tamen in comprobationem divinae legationis magnalia Dei loquebantur, abditam doctrinam explanabant, innumeraque patrabant miracula, ut in eorum Actis videre quisque potest. Eorum autem doctrina, quae Christianae Religionis fundamentum est stabile atque robustissimum, nihil Deo indignum comprehendit: continet equidem mysteria atque arcana humanae mentis captum superantia; sed aptissima haec sunt ad incomprehensibilem Dei naturam ostendendam, atque fovendum in nobis humilitatis, quae virtutum omnium basis est, exercitium. Quod autem homines spectat, doctrina Christi eos docet in Deo summe bono, non in saeculi vanitatibus ultimum finem hominis esse repositum; simulque Dei amore alios amandos esse homines, eisque praestanda, quae fieri nobis velimus, atque eis quoque benefaciendum, a quibus mala recepimus. In Christi itaque Religione cum omnes divinae revelationis reperiantur characteres, sequitur veram esse atque infallibilitate praeditam.

Restat tandem ut demonstremus, inter varias Christianorum sectas, quae circa doctrinae revelatae puritatem, ideoque certissimam aeternae salutis regulam, velitantur, solam Romano-Catholicam characteres divinae revelationis conservare; quod ita conficimus. Sola Romano Catholica Religio Ministros habet, qui per legitimam ordinationem, missionem suam a Christo factam probant;

bant; simulque certos se esse adfirmant, nunquam futurum esse, ut in deposito fidei custodiendo errare possint, atque fallere. Pariter sola Ecclesia Romana Episcoporum legitima successione gloriatur, qui serie haud interrupta ab Apostolis originem recognoscunt suam, dum alii Christiani legationem suam vel a Lutero, vel a Calvino, vel ab Euthychete repetunt, vel ab aliis, similiter verae Religionis hostibus infensissimis. Tandem miracula, quae in Ecclesia Romana viguere semper atque nunc vigent, in aliis sectis desunt, ipsismet fatentibus haereticis; quod sane invictissime ostendit, solam Catholico-Romanam Ecclesiam inter varias sectas, quae inter Christianos vigent, revelatae a Deo Religionis characteres possidere. Q. E. D.

Finis Secundae Partis Metaphysicae.

METAPHYSICES

PARS TERTIA,

sive

PSYCHOLOGIA.

GRaecum vocabulum est *Psychologia*, quod latine redditum, sermonem, sive discursum de anima significat. De animi itaque nostri natura, origine, humano cum corpore commercio, atque tandem operationibus, in hac tertia ac ultima Metaphysicae parte loquuturi, non est quod plura de Scientiae hujus praestantia, atque jucunditate edisseram, cum rei ipsius dignitas pateat per se se. Neminem siquidem latere opinor animum nobiliorem, excellentioremque hominis partem esse, ideoque magni prae ceteris faciendum. Eo enim medio, nosmetipsos, supremum Ens, ac humana omnia cognoscimus, a brutis ratione carentibus differimus, Deoque ipsi approximamus, ad cujus imaginem conditi atque formati sumus. De summa igitur hominis substantia in hac Facultate, corpore semoto, agitur: mens nostra sui ipsius judex & subjectum extat: nosmetipsos in scaenam producimus, primum ac ultimum philosophicae litis argumentum.

CAPUT I.

DE ANIMA HUMANA, EJUSQUE SPIRITUALITATE.

I. *Quid nomine animae in genere veniat?* II. *Anima humana definitur, ejusque operationes explicantur.* III. *Materiae, atque attributorum ejus brevis analysis exhibetur.* IV. *Habita harum binarum substantiarum comparatione, cogitatio materiae repugnat apertissime.* V. *Hobbesii, Voltaeri, Gildoni, Mirabaud, aliorumque argumenta enodantur.* VI. *Adesse in nobis principium aliquod cogitans, illudque spirituale; sicuti & mentem humanam nec divinae substantiae modificationem esse, nec mundanae animae partem, ex dictis infertur.*

I.

ANimae vocabulum in Veterum scriptis ita ambiguum est, ut varia ac opposita significare videatur. Et primo juxta Hebraeorum doctrinam in sacris Litteris expressam, accipitur anima pro quacumque anima tum hominum cum brutorum: *Da mihi animas*, ait Rex Sodomae ad Abrahamum (a), *caetera tolle tibi*. Accipitur 2. anima etiam

(a) *Gen.* 14. 21.

etiam pro flato, ac respiratione qua vivimus: *Et factus est Homo in animam viventem* (*a*), & alibi (*b*): *Quiescite ergo ab homine cujus spiritus in naribus ejus est*; (c) *Ne interficiatis animam ejus.* Hebraeis hac in re consentiunt Graeci Scriptores, penes quos anima nunc ventum, nunc aerem, nunc respirationem significat; unde Plautus: *an foetet anima uxoris suae?* Hoc tandem nomine nunc corpus, nunc spiritum, nunc passiones, ut penes Plautum: *animam comprime*; sed saepe saepius vitam, h. e. principium, quo corpora vivunt, moventur, sentiunt, expromunt. Inter latinos Poetas Virgilius igneis vaporibus animas assimilasse videtur, dum cecinit (*d*):

. . . *Quantum ignis animaeque valent.*

II.

Verum nos de anima humana in praesentia loquimur, quam Philosophi inter se dissentientes, varie definiunt. Esse animam hominis, rem in se movendi tum seipsam, cum alias res potestatem habentem, omnium primus Thales docuit, Platone teste (*e*). Pythagoras, ut ex Plutar-

(a) *Ibid.* 2. 7.
(b) *Isaiae* 1. 21.
(c) *Gen.* 37. 22.
(d) *Aeneid. lib.* 8.
(e) *Lib.* 10. *de Rep.*

tarcho (*a*); numerum seipsum moventem, animam definivit: substantiam intellectilem, divinus Plato (*b*). Aristoteles demum, potentiam quamdam incorpoream eandem dixit (*c*). Sed tam illustrium Philosophorum pace, traditae modo animae humanae definitiones, nec animae naturam explicant, nec essentiales ejus proprietatates. Parcendum de reliquo antiquitati, quae pingui Minerva de rebus judicabat, simulque ob idearum defectum nec satis clare, nec adaequate res definiebat. Anima itaque humana quae nonnisi quoad operandi modum ab animo & mente differt [*d*], principium illud est, quo nos homines cogitamus, intelligimus, volumus, nostrarumque operationum intime conscii sumus.

Intima scilicet conscientia certi existimus, adesse in nobis principium aliquod, quo medio plures rerum tum corporearum, cum intelligibilium notiones jungimus, vel separamus; remotissimas res pervolutamus, earumque relationes, proprietates atque attributa perpendimus: spatia, tempora, & motus dimetimur: res inter se conferimus, atque tandem ratiocinii ope ex apertis & manifestis veritatibus, ad ignotas & occultas gradum facimus. Intimus sensus pariter atque expe-

(a) *Plac.* 1. *v.* 2.
(b) *Plaut.* *v.* 2.
(c) *Lib.* 1. *de anima text.* 25.
(d) *Vid. Cap.* 1. *Log. nostrae* §. 13.

perientia nos docent, mentem noſtram principium activum eſſe, & de facto operari: ſic uno eoque ſimpliciſſimo mentis actu e Terra ad Coelum migramus, telluris ſuperficiem percurrimus, Terrae centrum penetramus, ut nulla ſit in Mundo celeritas, quae cum animi noſtri valeat celeritate contendere: de rebus quoque abſtractis, veritate nimirum, ratione, ordine, virtutibus, Deoque ipſo ſermocinamur; varias res definimus, dividimus & quidem eodem tempore, quo aliorum objectorum jungimus ideas, vel ſeparamus, axiomata conſtituimus, ratiocinia examinamus, quaeſtiones ſolvimus, aliaque ejuſmodi operamur, quae entia cogitantia nos homines apertiſſime praedicant, atque conſtituunt; ſicuti pariter liberrime operantia.

Eſt itaque cogitatio humanae mentis actus, quo plena advertentia noſmetipſos, & externa objecta cognoſcimus, de ipſis judicamus, ratiocinamur, variiſque modis ea diſponimus.

III.

Materia ſubſtantia definitur extenſa, ſolida, iners, diviſibilis, figurabilis, iiſque omnibus praedita attributis & proprietatibns, quae in ea conſpiciuntur.

Materia ſcilicet ſi ad examen revocetur, inveniemus, eam ſubſtantiam eſſe partibus compoſitam, quae ſimul unitae ipſius extenſionem faciunt; impenetrabilem, ſeu externis corporibus reſiſtentem, ne in eodem ſimul ſtent loco, ad me-

motum & quietem indifferentem; quaeque tandiu in quietis statu perdurat, donec ab externa causa ad motum determinetur, cui etiam suis viribus resistit, ne quietis statum mutet; pluribus in partibus divisibilem, variisque modis modificabilem. Haec cuique experientia sunt manifesta.

IV.

Nunc facta utriusque substantiae, animae nimirum humanae, atque materiae comparatione, suis cum attributis essentialibus, cuique experientia compertis, & a nobis superius ad examen revocatis, una voce clamare deberent Philosophi, has binas substantias ita inter se pugnare, ut una necessario alteram destruat; simulque minorem vim nos pati, cum bis duo non efficere quatuor, pronunciamus, quam materiam animam esse, atque cogitare. Hac tamen non obstante aperta contradictione ac repugnantia, quae vel oculis clausis in materia cogitante deprehenditur, magnus tamen fuit in Mundo perditorum hominum numerus, qui nimia materiae dilectione occaecati, cogitationis modum per varios materiae subtilissimae motus explicare sunt conati. Sed quam inaniter & patet ex supra dictis, & nunc patebit evidentius.

Cogitatio indivisibilis est ac simplicissima humanae mentis actio (n. II.); materia vero divisibilis ac partibus composita (n. III.): sed repugnat unam eandemque substantiam diversis

V.

Tempus nunc est ut Materialistas audiamus. Thomas Hobbes mentis humanae sensationes, sola actione & reactione partium cerebri explicare conatur, hisce rationibus (*a*). Sensio in sentiente nihil aliud esse potest, quam motus partium aliquarum intus in sentiente existentium, quae partes motae, organorum, quibus sentimus, praeter sunt. Nam partes corporis, per quas perficitur sensio, eae ipsae sunt, quas vulgo *organa sensoria* appellamus . . . Causa igitur sensionis est externum corpus, sive objectum, quod proprium organum premit, & premendo, mediis nervis & membranis, continuum efficit motum introrsum, ad cerebrum, & inde ad cor: unde cordis resistentia enascitur, & contrapressio, sive conatus cordis liberantis se a pressione per motum tendentem extrorsum; qui motus propterea apparet tanquam aliquid externum: atque apparitio haec, sive phantasma, est id quod sensionem dicimus.

Resp. Longo huic Hobbesiano ratiocinio brevem ac efficacem dabimus responsionem. Permittimus quidem, objectum externum, mediis organis corporeis, sensorium premendo, impressionem quamdam, vel *speciem impressam*, ut Scholae loquun-

N

(a) *De sensione & motu animali.*

quuntur, excitare in cerebro. Haec autem impressio quia corporea & materialis, opus habet facultate, quae eam dignoscat atque sentiat. Etenim sensio haec minime consistit in ipsa impressione facta in cerebro, cum Hobbesio ipso fatente (*a*), sensibiles qualitates, colores nimirum, sonus &c. nil aliud sint, quam materiae motus, & motus ipse nil aliud dare possit, quam motum. Est ergo sensio haec spiritualis tota atque incorporea, spirituale principium habens suum, quod objectorum externorum species noscit, sentit, retinet, suoque arbitrio eas reproducit independenter ab actione eorundem objectorum: hoc principium autem animam humanam nominamus.

Responsioni huic nostrae acquiescere videtur Hobbesius ipse, dum ita scribit (*b*). „ Scio „ fuisse Philosophos quosdam, eosdemque viros „ doctos, qui corpora omnia sensu praedita esse „ sustinuerunt. Nec video, si natura sensionis „ in reactione sola collocaretur, quomodo re„ futari possint. Sed etsi ex reactione etiam cor„ porum aliorum, phantasma aliquod nasceretur, „ illud tamen remoto objecto statim cessaret; „ Nam nisi ad retinendum motum impressum, „ etiam remoto objecto, apta habeant organa, ut „ habent animalia; ita tantum sentiunt, ut „ num-

(a) *Leviathan cap.* I.
(b) *Phys. cap.* 25. *Sect. V.*

„ nunquam sensisse se recordentur . . . Sensioni „ ergo, quae vulgo ita appellatur, necessario „ adhaeret memoria aliqua „. Si itaque ut homo sentiat objectorum externorum sive amicas sive inimicas impressiones, sentiendi facultate spirituali ac incorporea eget; multo magis eandem facultatem se habere demonstrat dum aliquid de alio affirmat vel negat; vel ex notis ignota deducit.

Concedo, respondet Voltaerus (*a*), affirmationem & negationem dividuas minime esse, nec esse materiae partes. Similiter adfirmo, materiam nobis caeteroqui ignotam, qualitates possidere, quae nec materiales, nec divisibiles sunt; ut ejus versus centrum gravitatio, vis corporum motrix, corporum organicorum vegetatio, eorumque vita & instinctus: tam impossibile namque est in binas partes rosae vegetationem, equi vitam, canis instinctum secare, quam sensionem negationem, affirmationemque dividere.

Resp. Nihil tam divisibile probabimus, quam eas materiae qualitates, quas nec materiales, nec divisibiles confidenter nimis Voltaerus adfirmat. Est enim gravitas vis, qua corpora versus Terrae centrum feruntur: sive ergo ejusmodi vim per varios impulsus cum Cartesio explicemus, sive per attractionem cum Newtono, materialis semper & divisibilis erit. Sane cum, Philoso-

[a] *Diction. Philosoph. portatif.*

losophis omnibus fatentibus, gravitas corporum sit in proportione cum massa, sicuti haec augeri, minui, & dividi potest; ita quoque augetur, minuitur, dividitur gravitas ipsa. Sed quin philosophice rem agamus, ipsis pueris compertum, sex librarum pondus dividi posse in tres, quarum singulae partes in pondera minora subdividi valent, prout cuique libuerit: materiae igitur gravitas & partes habet, & divisibilis est. Pariter vis motrix corporum vel sumitur pro principio motus ipsius, vel pro vi, quo unum corpus alterum impellit, atque ad motum determinat. Primum velle nequit Adversarius, quin probet, cum materia iners natura sua omnino sit, & principium hoc quo corpora moventur nonnisi in Ente incorporeo reperiatur, ut adversus Spinosam (Cap. III. Theol. Nat.) probavimus Si secundum, jam in suo robore stat adsertum nostrum: corpus enim quod alterum impellit tantum vis motricis deperdet, quantum ei communicat: ideoque vis hujusmodi dividua est ac materialis. Sunt tandem corpora organica substantiae corporeae, suas modificationes habentes, quae ad motum quoque reducuntur. Equidem ubinam, quaeso, rosae vegetatio consistit, nisi in suarum partium evolutione, accretione, incremento, quod ex fibrarum earundem dilatatione, humorumque circulatione ei advenit? Quid canis instinctus, quoad corpus ejus organicum spectatus, nisi constans, & immutabilis motuum, operationumque tenor a Sapientissimo Naturae Auctore statutus? Horum itaque organicorum corporum vita in

in aequabili sita est ac perenni solidorum, fluidorumque ea componentium motu qui suas quantitates, modos, partes habet, in quas dividi possit & dividatur de facto; ac per consequens allatae materiae qualitates & materiales sunt, & divisibiles, secus ac Voltaerus adfirmabat.

Esto, pergit Voltaerus, materia in se spectata qualitates habeat materiales ac divisibiles; Deus tamen quia omnipotens, an non efficere potest, ut ens materiale, atomus, materiae elementum cogitet? (*a*).

Resp. Deus quia omnipotens potest efficere quidem ut ens aliquod non existat, antequam existeret; non autem efficere valet ut non existat id, quod jam fuit a Deo in mundo positum. Patet id exemplo quadrati, quod ut existat, vel non, pendet a Deo; efficere tamen nequit Deus ut quadratum sit triangulum, dum quadratum existit. Similiter poterat efficere Deus ut materia non existeret, vel diverso modo existeret, antequam illam in Mundo disponeret; sed postquam illam hoc modo ordinaverit, ut sit nimirum divisibilis, figurabilis, iners &c., efficere nequit profecto ut cogitet, cum tantum absit ut materia & cogitatio componi simul possint, ut una alteram destruat [n. 111.], & quae simul repugnant fieri a Deo nequeant.

Videtur quidem, instat idem [*b*], cogitatio-

 nem

(a) *Metaph. Part. prem. chap. 6.*
[b] *Ibid.*

nem nihil commune habere cum attributis, quae in ente extenso, corpore nimirum, observantur: ast cognoscimusne omnia attributa Corporum? Admodum temerarium est dicere Deo: motum, gravitatem, vegetationem, vitam corporibus dare potuisti; cogitationem vero non.

Resp. Est hic Voltaeri arguendi modus invictum desperatae causae argumentum. Valde temerarium immo est id divinae tribuere potentiae, quod apertam sapit repugnantiam. Pluries supra diximus, cogitationem, etiam spectata Dei potentia, materiae repugnare. Nec dicere juvat, materiae seu corporum attributa a nobis ignorari: nam licet in quadrato plures sint proprietates mihi prorsus ignotae, nunquam tamen ambigere possum, an illud quadratum simul & rotundum esse valeat, nec ne; ratione nimirum quatuor angulorum & quatuor laterum, quae ad naturam quadrati requiruntur necessario. Si igitur proprietates materiae nobis notae pugnant cum proprietatibus Substantiae cogitantis nobis quoque notis, ad occulta materiae attributa, summique Dei omnipotentiam confugere, indignum est Pseudo-Philosophorum refugium, ut cuique sana ratione praedito innotescit.

Materia subtilissima, ignis nimirum, ait Lucretius penes Voltaerum [*a*] licet ex se cogitare non

---

[a] *Les Pensées de Mr. de Voltaire Part. prem. art. Ame.*

non possit, organis tamen corporeis unitus, efficere id peroptime valet; ea ferme ratione, qua arbor & tellus si separatim considerentur nullum fructum producunt; contra vero si unitim ea spectemus.

Resp. Latissimum est discrimen illud, quod inter materiam subtiiissimam, ignem scilicet, & arborem adest: Arbor enim germen fructuum in se continet, simulque telluris humore accedente horum fructuum substantia exvolvitur, & fructus habentur; contra vero subtilissima materia, seu ignis cogitationis germen haud continet, quod organis corporeis mediis exvolvi possit.

E Recentioribus materialistis Gildonus [*a*], ut e sinu materiae cogitationem educat, sequenti utitur paritate. Corporum figura & motus sunt causa colorum, saporum, sonus &c. quin ejusmodi qualitates in corporibus ipsis reperiantur: ergo pariter, quin materia sit intelligens, potest esse cogitationis causa. Immo, sequitur Tolandus (*b*), sicuti Deus per vos quin dividuus sit, & figurabilis, materiam solidam, divisibilem, figurabilem creavit; ita quoque materia quamvis intellectu carens potest causare cogitationem, intelligentiam, libertatem.

Resp. Nonnisi fatuis ac bardis metum incutere valent argumenta haec a paritate deducta. Ad

---

[a] *Oracles de la Raison.*
[b] *Lect.* III. *sur le mouvement.*

primum, falsum esse reponimus, colores, sonus, gustus &c. effectus esse simplicis figurae & motus materiae, cum nihil sit in corporibus, quod cum his qualitatibus relationem dicat. Duo itaque in allatis qualitatibus sunt distinguenda, simplex motio nimirum earum particularum, quae colores, sapores, sonus excitant; & ejusdem motionis perceptio, seu sensatio. Prior illa particularum motio tota materialis est atque corporea, posterior vero, sive perceptio spiritualis sit, necessum est, uti adversus Hobbesium supra probavimus.

Ad secundum. Maxima disparitas reperitur inter Deum respectu materiae, & materiam respectu cogitationis, intellectionis &c. Duplici modo aliquid in alio contineri in Scholis adfirmatur, *formaliter* nempe & *virtualiter*: formaliter quidem cum secundum propriam rationem formalem res una continetur in altera, ut rationalitas in homine: virtualiter autem, cum una res ratione propriae causalitatis in alia reperitur, ut mundus hic visibilis in Deo. Jam vero materiae attributa, h. e. soliditas, divisibilitas, figurabilitas &c. non sunt certe in Deo formaliter, sed virtualiter solum, quatenus nempe virtutem habet materiam solidam, divisibilem, figurabilem &c. creandi, sicuti de facto creavit. Secus vero de materia loquendum, in qua nec formaliter nec virtualiter cogitatio, intellectio &c. continentur. Nemo enim dare potest quod non habet, & materia cum nonnisi partes divisibiles ac figurabiles contineat, sequitur dividuam semper esse,

esse, & nullimode cogitationem & intellectionem causare posse, quae simplicissimae sunt humanae mentis operationes: formaliter ergo cogitatio in materia non continetur. Sed neque virtualiter; secus enim esset effectus perfectior sua causa, quod repugnat.

Anima, inquit Mirabaud (*a*), pars est nostri corporis, seu potius corpus ipsum: anima enim iisdem subjicitur mutationibus, quibus corpus ipsum . . . Spiritualitatis dogma novum est, recensque imaginationis productio; nec non vetustis Philosophis, ac primis Ecclesiae Doctoribus ignotum.

Resp. Non denegamus, animam iisdem subjici mutationibus, quibus corpus ipsum subjicitur, sed fatemur simul id evenire per commercii legem invariabilem, qua certis corporis mutationibus, certae correspondent mentis affectiones, & vicissim; ut cuique manifestum. Ast mutationes & affectiones ejusmodi analogae quidem sunt, non autem similes: hinc sicuti mutationes corporeae ostendunt hominem totum materialem esse; ita quoque affectiones mentis, h. e. intellectiones, volitiones &c. hominem totum spiritualem manifestant. Ex quo ergo anima & corpus inter se in operando dependeant, non sunt ideo unam eandemque substantiam adstruenda . . . Falsum praeterea, spiritualitatis dogma novum in

(a) *Syst. de la Nat. Part. prem. Chap. VII.*

in Mundo esse. Sane quamvis prisci Philosophi & Ecclesiae Patres animae humanae claram ideam non habuerint, eam tamen a materia differre; ideoque spiritualem semper judicarunt. Cuique in philosophicis versato, nota est forma substantialis Veterum, quem nec materiam, nec corpus dicebant; sicuti & materia illa ignea, ignota, splendescens, subtilissima, immaterialis, ad quam Antiqui recurrebant (*a*), ut animae naturam explicarent; quod sane non praestitissent; quoties animam a corpore distinctam haud judicassent. Tertullianus (*b*) autem & Irenaeus (*c*), quamvis animam corpoream substantiam dixerint, digni erant ut veniam consequantur, ait Augustinus [*d*]. Nam a materialistis nostrorum temporum & in hac sententia, & in illationibus distabant quammaxime, cum immortalem eam adstruerent.

Ex hucusque dictis; inferendum 1.; adesse in nobis principium aliquod cogitans, quod mentem, seu animam humanam nominamus: 2. Hominis animam, substantiam esse spiritualem, h.e. omni materia expertem. Probatum id est tum ex comparatione utriusque substantiae; animae nempe & corporis; tum aliis rationibus supra allatis, nec non ex argumentorum solutione. Alluci-

[a] *Vid. Baelium Art. Dicéarque Rem. L.*
[b] *Jacob. Pamel. Tertul. Paradox. n. 7.*
[c] *Renat. Massuet diss. III. in Iren. art. XI.*
[d] *De Gent. ad lit. lib. IX. cap. ult.*

lucinantur ergo quotquot humanarum animarum ſpiritualitatem auctoritate tantum conſtare defendunt. 3. mentem humanam nec divinae ſubſtantiae modificationem eſſe, nec mundanae animae partem. Primum purum ſapit Pantheiſmum a nobis ſupra confutatum: miror itaque Thomaſii, humanam mentem Spiritum Sanctum eſſe adſtruentis [a]. Secundum, quod olim Pythagoras, & Phaerecides, teſte Tullio [b], docuerunt, & ultimis temporibus Eugubinus, Galante, Panſa, Mornay, aliique, mera eſt infirmae mentis cogitatio, quae ſolida eget probatione. Eſtne, quaero, mundana haec anima materia, an ſpiritus? materia eſſe nequit, cum cogitatio materiae repugnet manifeſte, ut in ſuperioribus demonſtratum: neque ſpiritus eſſe poteſt, ratione ſcilicet immenſitatis ejuſdem, quam ſolius Dei propriam oſtendimus [Theol. Nat. cap. IV. n. IV.]. Inſuper ea in hypotheſi aequalis deberet eſſe ſingulorum hominum cogitandi modus, aequales operationes, utpote ab uno numero principio informati: ita agere deberet ſtupidus Laponus ac ingenioſus Anglus, quod experientiae refragatur.

CA-

[a] *Differt. var. arg. diff.* 32.
[b] *Tuſcul. qq. lib.* 1. *n.* 18.

CAPUT II.

DE ANIMAE HUMANAE IMMORTALITATE.

I. *Quid immortalitatis nomine veniat?* II. *Argumentis e ratione & auctoritate humana petitis, anima immortalis demonstratur.*

I.

ANimae humanae immortalitas legitimum est ejusdem spiritualitatis consectarium. Omnis enim Libertinorum conatus situs in eo est ut hominis animam materialem demonstrent, & inde ejus immortalitatem ludibrio habeant. Est tamen immortalitatis veritas Libertinis ingratissima, utpote nec unquam eos quiescere patitur, omnemque eorum voluptatem perturbat continue.

Definitur communiter immortalitas indeficiens rei atque operationum ejus existentia: Ut res aliqua scilicet immortalis dicatur, necessum ut semper existat, semperque operetur. Non est immortalitas cum incorruptibilitate confundenda, ut nonnulli faciunt: incorruptibilitas enim rei duntaxat existentiam importat indeficientem, minime vero operationes, secus autem immortalitas importat utrumque. Sic incorruptibilis dicitur materia, quatenus semper permanet sive uno sive altero modo disposita, & nunquam annihillatur;

tur; immortalis vero anima, ut modo probabimus, utpote semper existit quamvis a corpore soluta, & semper operatur, sive res percipiendo, sive de ipsis cogitando.

II.

Pauca afferemus e ratione petita argumenta, quae animam immortalem demonstrabunt. Corruptio & annihillatio duo illa media sunt, quibus res aliqua propriam existentiam deperdere valet. Per corruptionem namque rei partes a se invicem dividuntur & separantur, ablato nodo quo simul unitae existebant; & per annihilationem res omnino perit ac deficit. Jam vero anima humana simplicissima seu partibus carens (Cap. praec.) in partes dissolvi nequit atque corrumpi: est ergo natura sua immortalis. Si igitur naturae vires animam corrumpere nequeunt, utpote inextensam ac simplicissimam, multo minus poterunt illam redigere in nihilum. Sane infinita potentia requiritur ad hoc, ut res aliqua ab existentia ad nihilum transeat, sicuti pariter eadem requiritur potentia ut e nihilo ad existentiam veniat: atqui potentia haec res in nihilum reducendi naturae vires finitas, determinatas exsuperat omnino: nequit igitur anima humana in nihilum redigi mediis naturae viribus; ideoque semper immortalis erit.

Anima, inquiunt Materialistae, ut operetur a motu partium corporis dependet necessario: ipsa enim sentire nequit, cogitare, velle, atque operari,

rari, nisi organorum corporis adjumento : extra dubitationis ergo aleam positum est, animam interire quoque, pereunte corpore. Insuper alterius vitae dogma objicit Mirabaud, [a] homines inutiles, vecordes, atra bile affectos, simulque insanos facit.

Resp. ad primum. Pendet quidem anima in suis operationibus a motu partium corporis, cui intime unitur; quatenus nempe ea lex inter has binas substantias constituta est, ut una sine altera operari non possit in praesenti unione: ast quid ex hoc? anima ergo perit, pereunte corpore? falsum loquuntur Materialistae. Etenim id animae spiritualitati apertissime repugnat, ut supra ostensum est, utpote simplicissima substantia existit anima, quae partium solutione perire nequit, quemadmodum corpus.

Ad secundum. Immo potius alterius vitae negatio homines infelices, miseros, vagos, pavidos facit. Qui enim alteram vitam fatentur, spei futurorum bonorum haerendo, hujus vitae calamitates ac miserias alacriter ferunt. Contra vero Increduli torquentur malis tum physicis cum moralibus praesentis vitae, omni solatio expertes. Mirabaud haec omnia in praesentiarum patitur, quamvis ore mendaci se beatissimum praedicet. Apposite hinc Roussojus loquitur, veritatis forsan amore permotus: „ L'irreligion attache à la „ vie,

---

[a] *Syst. de la Nat. Part. prem. Chap.* 13.

„ vie, effemine, avilit les ames, concentre tou„ tes les passions dans la bassesse de l'intérêt „ particulier. Si l'athéisme ne fait pas verser le „ sang des hommes, c'est moins pour l'amour „ de la paix que par indifference du bien„.

Videamus modo num immortales a multis creditae sint hominum animae. A multis respondet Seneca, inquiens [a]: „Cum de animorum aeter„ nitate disserimus, non leve momentum apud „ nos habet consensus hominum, aut timentium „ inferos, aut colentium. Utor hac persuasione „ publica„. Etenim animos post mortem permanere docuerunt Graecae Philosophiae parentes Thales & Pherecydes, Laertio (b) & Cicerone (c) testibus. Utriusque sententiam propugnarunt Anaxagoras & Socrates Jonici Philosophi, ut Platone affirmatum (d). Docuerunt idipsum Xenocrates, qui animam mortis immunem esse voluit; Plutarchus (e), Apulejus (f) & Plotinus, qui praesertim ex fatua opinione migrationis animarum eo devenit, ut brutorum animas immortales quoque diceret.

Idipsum quoque sentiisse Aristotelem autumandum

[a] *Epist.* 117.
[b] *In Thal.*
[c] 1. *Tuscul.*
[d] *In Phaed.*
[e] *Contra Colot.*
[f] *De Deo Socrat.*

dum est. Licet enim quid de perennitate animorum Aristoteles senserit, inter eruditos disputatum sit; tamen habita animae a mente divisione, quam Aristoteles adhibebat, facile est inferre, ipsum animam mortalem dixisse, quae *actus corporis organici* in Lyceo definitur; mentem vero Diis affinem, immortalem. Ita quoque opinatus est Alexander Aphrodisiensis Aristotelis interpres, & sectator (*a*), sicuti & Ponticus Heraclides (*b*), ejusdem auditor. Pythagoras doctrinam hanc de animorum immortalitate ab Aegyptiis susceptam confirmavit; simulque piorum animas coelo succedere, & in lacteum orbem evolare post mortem dixit; impiorum vero variis purgari suppliciis, & post elutis sordibus in corpora reverti. Placuit idem Tullio, qui sententiam hanc de immortalitate animorum egregie exposuit (*c*); & nonnisi immerito de re ista incertus a Lactantio judicatur (*d*). Ut uno verbo absolvam, sempiternos animos dixerunt Chaldaei, Persae, Graeci & Romani, sicuti Philosophi & Poetae. Immo immortalitatis animorum dogma penetravit quoque in barbaras Gentes, uti complures Scriptores Viatorum relationibus innixi, ostendunt (*e*).

Allu-

[a] *Lib.* 1. *de anima*, *&* *probl.* 2.
[b] *Apud Stob.*
[c] *Tuscul. qq. lib.* 1. *&* *in Somn. Scip.*
[d] *Lib.* 7. *cap.* 7.
[e] *Vide Jovet &c.*

Allucinatur ergo Puffendorfius cum Baelio (*a*), aliisque, dum humanarum animarum immortalitatem ex solo Dei verbo hauriri posse, adfirmat (*b*). Sane ut ex superius dictis colligitur, argumenta e ratione petita non desunt, quae animorum immortalitatem probant invictissime.

CAPUT III.

DE ANIMARUM ORIGINE, EARUMQUE HUMANIS IN CORPORIBUS IMMISSIONE.

I. *Philosophorum opinamenta quoad animarum originem.* II. *Neque humanae animae corporibus praeexistunt: neque propagantur per traducem.* III. *Sed creantur a Deo dum organizatis corporibus infunduntur.* IV. *Leibnitii & Wolfii opinamentum refellitur.*

I.

NUllibi tam deridenda Philosophorum passim occurrunt deliria, quam in praesenti de humanarum animarum ortu, disputatione. Docuit in primis Pythagoras Italicae Sectae Princeps,

[a] *Dict. &c. A. Pomponace.*
[b] *In praef. Oper. de offic. hom. & Civ.*

ceps, Magistros Aegyptios, Chaldaeos, Persas, Indosque sequutus (a), animas humanis praeexstitisse corporibus, simulque de uno corpore transmigrasse in aliud: unde ejus senilis in Mundo *Metempsycosis*, h. e. animorum transmigratio, & de qua Calmet differit copiosius [b]. Longe insuper antiquiores humanis corporibus animas dixit Plato, quas initio Mundi creatas voluit, totidemque locatas sideribus, donec organizatis corporibus jungerentur, e quibus, adveniente morte, solutis, ad astra secundo redire, atque ex his descendere iterum, aliisque, pro varia meritorum conditione, sive brutorum, sive hominum uniri corporibus. Mirus hic Platonis animarum ascensus & descensus e Coelo! Futurorum omnium hominum animas in Sinai Montis vertice olim adfuisse Hebraeorum Rabbini commemorant; eisque Mosis legem promulgatam: unde legis observantiae in Mundo exorta necessitas. Veterum de animarum praeexistentia opinionem amplexus est Origenes, cui addidit, animas eo in statu peccasse a Conditore recedendo; atque inde pro delictorum varietate, diversa terrena corpora meruisse, quasi vincula poenitentiae.

Expositum nunc animorum praeexistentiae opinamentum complures Philosophi rejiciunt, simulque majore delirio philosophantes, rationales animas

---

(a) *Laert. Proem. seg. II.*
(b) *Dict. Biblic. art. Anima, & alibi.*

mas e Parentibus in ſoboles per traducem propagari contendunt. Nequibant enim hi originalis culpae a Parentibus in filios intelligere atque explicare tranſitum, niſi animas ipſas ab Adamo in poſteros traductas effutirent. Chriſtianus Wolfius humanas animas per traducem haberi inficiatur, ſimulque Leibnitium ſequutus, defendit, animas praeteritorum, praeſentium, & futurorum hominum initio Mundi fuiſſe a Deo creatas, ſuiſque incluſas corpuſculis in Evae ovario exiſtentibus (*a*).

Vult tandem communior, ſaniorque Philoſophorum ſententia, rationales animas nec antiquiores eſſe corporibus, nec propagari per traducem, nec tandem initio temporis conditas a Deo, organiciſque copulatas corporibus; ſed quotidie creari, ſuoque corpuſculo in mulieris utero exiſtente, atque vitales functiones elicere compote, infundi atque uniri.

II.

Humanas animas ſuis praeextitiſſe corporibus, maximum eſt Philoſophorum delirium. Siquidem mentem humanam ſemper operari, nemo ſani ingenii negabit Philoſophus: actione enim

 ab

(a) *Theod. Part. I. n. 86. Part. IV. n. 397.*

ab anima dempta, mortuam habebis substantiam: anima igitur sive in statu unionis cum corpore, sive separationis, operetur semper, necesse est. Pariter humanae mentis operatio adnexam semper habet earum rerum, de quibus cogitat, recordationem, ac reminiscentiam. Jam vero si longe antiquiores corporibus humanae animae sunt, debet profecto earum rerum memoria in nobis adesse, de quibus olim vel in astris, vel in Montis Sinai vertice positi, vel de corpore in corpus transmigrantes, cogitavimus, vidimus, observavimus: atqui nulla earum rerum in nobis conscientia adest, nulla recordatio, ut cuique intime notum: animorum ergo ante corpora praeexistentia inanis est Philosophorum fabula. Apposite hinc Lucretius (*a*):

. . . . si immortalis natura animi
Constat, & in corpus nascentibus insinuatur:
Cur super anteactam aetatem meminisse nequimus?
Nec vestigia gestarum rerum ulla tenemus?
Nam si tantopere est animi mutata potestas
Omnis, ut actarum exciderit retinentia rerum,
Non, ut opinor, id ab leto jam longiter errat.

Quod si quis laudatam reminiscentiam habere se jactitet, ut de Pythagora affirmat Laertius (*a*),

(a) *De nat. rer. lib. 3. v. 670.*

(*a*), aperti mendacii, atque delirii erit arguendus.

Neque humanae animae propagantur per traducem. Sane propagatio per traducem, omnibus fatentibus, sita in eo est, ut portio aliqua illius substantiae, quae *generans* dicitur, *genitum* ipsum subeat, quod per traducem haberi affirmatur: ita propagantur corpora organica, quae intra matrum suarum uterum efformantur, nutriuntur, augentur; ita vegetantia singula, quorum partium ordo atque mechanismus propagationem hanc apertissime manifestat. Ad hanc igitur propagationem habendam opus est, ut ea portio quae a generante in genitum transire dicitur, divisibilis tota sit atque corporea: sed animae humanae partibus carent, simulque omnimoda simplicitate potiuntur, ut Cap.I. adversus Materialistas ostensum est: propagatio igitur animarum e Parentibus in filios omnium absurdissima res est, atque repugnans. Praeterea quod per traducem habetur, intra suum principium contineatur, necesse est: ita propagantur atque germinant surculi, flores, fructus, qui in suis plantis continentur: idipsum autem de animabus filiorum respectu Parentum adserere, purum materialismum sapit: ergo thesis nostrae veritas magis magisque elucet. Quomodo autem originale peccatum a Parentibus in filios tran-

 seat,

(a) *Lib. 8. in vita Pythag.*

ſeat, & quanam lege a Theologis diſputatur: hos itaque adeat qui hujus rei aliquid dignoſcere cupit.

Neque ad animarum humanarum propagationem eruendam valet aliquid argumentum illud in Scholis tritum, a paritate brutorum & plantarum deductum; ſcilicet quemadmodum bruta & plantae prolis corpus & animam generant: ita quoque de hominibus judicandum, immo potiori jure, utpote brutis & plantis perfectiores. Nam ab Adverſariis poſtulare placet: ſuntne brutorum animae materiales an ſpirituales? ſi hoc ſecundum ſtatuunt; propagari ergo nequeunt a Patribus in filios, cum omnis ſubſtantia ſimplex ſit intrinſecus ingenerabilis (Cap. I. n. III.): ſi primum; nil mirum profecto quod cauſa materialis effectum materialem producat. Plantae vero cauſant quidem ſuorum germinum animas, quae cum nihil aliud ſint, quam diverſae ipſius materiae modificationes in ſeminibus ipſis contentae, ſine repugnantia produci dicuntur a plantis ipſis. Contra vero de humanis animabus autumandum, quae cum ſimplicitate gaudeant, nonniſi Ens ſimplex & ſupremum auctorem & cauſam recognoſcunt.

III.

Si itaque hominum animae ſuis haud praeexiſtunt corporibus, nec habentur per traducem, jam certiſſimum eſt, eas creari a Deo dum organizatis corporibus infunduntur. Dixi *organizatis corpori-*

poribus. Nam experientia teste, ea lex est animam humanam inter & corpus, quod illa tunc istud deserat, cum ad vitae munia exercenda incapax evadit: ergo vicissim tunc corpori uniri anima dicenda est, cum ad vitae obeunda munera sufficienter dispositum existit materno in alvo.

Duplex autem distinguenda est humani corporis organizatio, *accidentalis* scilicet, & *substantialis*. Illa habetur cum materia seminalis per virtutem plasticam, sic in Scholis dictam, praeparatur, variisque accidentibus afficitur ad diversas efformandas Corpusculi partes distinctas; cor nimirum, cerebrum, ossa, carnem &c. Ista vero, seu substantialis varia membra humani foetus amplectitur, nec non partes substantialiter distinctas inter se; ejusmodi sunt caro, ossa, venae, pulmones, brachia, pedes, caput &c., quae hocce disticho continentur:

Os, membrana, cutis, caro, vena, arteria, nervus,
Tendo, ligamentum, cum cartilagine, fibra.

Ad hoc itaque ut anima corpori uniatur sufficit accidentalis ipsius organizatio, quae difficiliter determinari potest quoad tempus, cum a variis dependeat accidentalibus circumstantiis.

IV.

Leibnitii & Wolfii opinamentum modo refellemus. Et in primis quaerimus ab Adversariis, vel

vel ea corpuſcula organica, ſeu humani corporis machinulae quae in ovulo femineo latent, vitales motus animae rationalis ope exercent, vel penitus mortua ac inertia exiſtunt. Si hoc ſecundum: ergo corpuſcula organica anima rationali carent: ea namque lex naturae eſt, ut modo dicebamus, ut anima rationalis corpus relinquat, cum ad vitae adimplenda munera ineptum prorſus exiſtit; & vice verſa ut mens in organico corpuſculo tunc collocetur, cum idoneum illud ſit ad vitales functiones exercendas. Si illud primum volunt Adverſarii: mulier ergo peroptime concipere poterit, quin viro nubat, ſimulque ad hominis conceptionem minime requiritur, ut ovum femineum a maſculini ſeminis aura foecundetur. In eorum quippe ſententia qui ex ovis animalia oriri putant, feminei ovi foecundatio ex eo habetur, quod agilior, ſubtiliorque virilis geniturae portio ovulum femineum ingreſſa, primis foetus ſtaminibus motum communicet, illius partes evolvat, quae ad motus abſolvendos magis aptae ac expeditae redduntur. Igitur ſi illa futuri foetus machinula in ovulo femineo latens torpida eſt, ac plane iners, anima rationalis profecto minime in ea comperitur; ideoque nulla eſt ratio, cur animas humanas a principio temporis in Evae ovario incluſas a Deo dicamus. Inſuper hac in hypotheſi omnium mulierum ovula animam propriam habent neceſſe eſt: ne ergo tot animae pereant, earum cauſa, injuſte feminis virginitas, ac viris caelibatum praedicatur, atque ſuadetur.

Ne-

Neque illud Geneſeos [a]: *quievit Deus die ſeptimo ab omni opere, quod patrarat* Wolfio prodeſt quidquam: nam ita intelligendus eſt ille Geneſeos locus, quatenus nempe quievit Deus a novis creandis ſpeciebus rerum, non autem ab iis creandis ſubſtantiis ad creatarum ſpecierum propagationem perficiendam, neceſſariis. Hinc legimus quoque in Evangelio: *Pater meus uſque modo operatur.*

CAPUT IV.

DE MENTIS HUMANAE CUM CORPORE UNIONE; UBI DE MUTUO INTER UTRAMQUE SUBSTANTIAM COMMERCIO DISSERITUR.

I. *Quid ſit commercium humanae mentis cum corpore?* II. *Syſtema influxus phyſici Scholaſticorum ex parte rejicitur, & ex parte probatur.* III. *Syſtema cauſarum occaſionalium alienum a veritate exiſtit.* IV. *Exponitur ſyſtema harmoniae praeſtabilitae, & confutatur.*

I.

GRaviſſimum adgredimur argumenti genus; mutui nimirum humanae mentis cum corpore

(a) 2. 2.

pore commercii, disputationem. Est namque disceptatio haec pluribus obvoluta difficultatibus, utpote humanae cognitionis circulum excedens omnino. Philosophicum hoc tam secretum phoenomenon nullus Philosophorum recte explicavit hactenus, neque explicabit in posterum. Plura equidem huc illucque sparsa hanc circa rem Philosophantium opinamenta comperies, sed opinamenta sunt: in tam ignoto Oceano facilius naufragium patitur finita mortalium capacitas. Omne autem id, quod in praesenti re excogitarunt Philosophi, dicemus inferius.

Definitur commercium humanae mentis cum corpore mirus ille consensus, quo datis mentis affectionibus, dati respondent corporis motus; & vice versa, datis corporis motionibus, datae mentis respondent affectiones, volitiones nempe, nolitiones, &c. Sic vult mens scribere, legere, ambulare, sedere, amicos convenire, bona agere, mala patrari, & corpus obsequitur ac obtemperat. Contra vero infirmatur corpus, mens dolet; bene valet illud, haec laetatur & gaudet, aliaque ejusmodi. Sunt tamen in corpore motiones *naturales* dictae, ut vegetare, manducare urgente fame, dormire adveniente somno, quae mentis imperio minime subjacent: sicuti pariter sunt in mente actiones *necessariae* a motionibus corporis independentes, ut amor sui ipsius, felicitatis desiderium, &c. Haec omnia evidenter cuique nota sunt, atque indubia; ideoque omnis Philosophorum dissentio circa modum, quo haec inter binas, easque distinctas substantias, cujusmodi sunt

ſunt anima & corpus, habeantur, occupatur.

II.

Syſtema influxus phyſici inter Philoſophos vetuſtiſſimum: illud namque propugnarunt Peripatetici fere omnes cum Magiſtro Ariſtotele; nec non recentiores Scholaſtici defendunt. Eſt ſyſtema influxus phyſici illud, in quo commercium animam inter & corpus per realem influxum, & phyſicam actionem mentis in corpus, & viciſſim corporis in mentem, explicatur.

Philoſophi duplici ratione influxum hoc phyſicum expediunt. Alii volunt, unam ſubſtantiam ita influere in alteram, ut realitas aliqua, quae ſubſtantiae influenti inhaeret, transfundatur in alteram, cui minime inhaeret: ſeu aliquid phyſicum, reale ac ſubſtantiale ab una ſubſtantia in aliam transfundi; adeo nempe ut tranſmutentur cogitationes in corpore, & motiones in animo. Ita Genuenſis Angelici Doctoris locum notans, influxus phyſici ſyſtema explicat [*a*]. Alii vero nihil reale & phyſicum ex una in alteram tranſire ſubſtantiam docent, ut priori in ſenſu, qui influxus corporum proprius eſt; ſed quatenus habetur inter utramque ſubſtantiam, animam nempe & corpus mutua in agendo dependentia: h. e. actione & vi ſua illa movet & movere corpus poteſt,

[a] *Elem. Metaph. Pars Altera de unione ment. & corp.*

potest, seu determinare ad motus spontaneos; corpus vero ei obtemperat, & sua actione, repraesentationibus scilicet objectorum externorum ad volendum, vel nolendum, sive ad operandum determinat.

Influxus physicus priori illo sensu acceptus repugnantiam sapit & contradictionem; posteriori vero sensu sanae experientiae innititur. Etenim quidnam est, quaeso, realitas illa ex anima in corpus transfusa, & vicissim e corpore in animam? est forsan quid substantiale, an accidentale? si primum, spirituale hoc erit, an corporeum? utrumque repugnat; non aliquid spirituale e corpore in animam transfundi potest, cum nemo det quod non habet, & substantia materialis nonnisi materiam dare possit; neque aliquid corporeum: est enim anima spiritualitate praedita, cui nihil corporeitatis communicari potest, ut per se est manifestum. Idipsum quoque dicatur de anima respectu corporis, cui nihil spiritualitatis communicare valet anima ipsa, ratione nimirum maxime repugnantiae, quae materiam inter & spiritum vel oculis clausis, comperitur.

Ad secundam propositionis partem nunc descendamus. Sana experientia cuique notum est, animam vi sua in proprium corpus agere, ipsum movere, eique liberrime imperare, sicut Dominus servo suo; sicuti & animam ipsam ad objecta externa cognoscenda a corpore, ejusque repraesentationibus in praesenti statu unionis dependere. Sic vult anima amicum convenire, scribere epistolas, deambulare per viridarium, libros

bros Philoſophorum conſulere, & corpus illico obtemperat. Pariter vult anima colorum varietatem dignoſcere, ſoni armoniam, ſaporum dulcedinem, mollitiem vel duritiem externorum corporum, velit, nolit anima, a ſenſibus corporeis pendere debet, qui rerum externarum imagines menti repraeſentant, quaſque inde mens dignoſcit: verum ergo atque reale animam inter & corpus commercium habetur, quo fit ut datis corporis motionibus datae correſpondeant mentis operationes, & viciſſim datis mentis operationibus datae reſpondeant corporis motiones. Quod erat de influxu phyſico autumandum.

III.

Renatus Carteſius, ejuſque aſſecla Nicolaus Malebrancius neque mentem in corpus, neque corpus in mentem phyſice influere, ſed Deum objectorum externorum ideas in mente producere, occaſione mutationis in ſenſorio ab objectis ipſis peractae; & occaſione volitionis, vel nolitionis in mente, motum in corpore efficere, tuentur, atque propugnant. Et corpora & mentes, loquitur Malebrancius (a), nequeunt profecto ullius rei verae cauſae eſſe, ideoque ut cognoſcant, ut ſentiant, ut velint, Dei egent lumine, modificatione, voluntate. Quapropter juxta

(a) *Lib. VI. de inquir. verit. P. II. cap. 3.*

xta hoc systema sicuti solus Deus causa est efficiens tam idearum, quae in anima excitantur, quam motuum, qui in corpore habentur; ita sola Dei voluntas causa dicenda est, cur objectorum externorum ideae mutationibus corporis, & vicissim motus corporis, volitionibus mentis adamussim respondeant; ideoque Deus solummodo efficiens causa est istiusmodi commercii, quatenus ipse solus corpus in gratiam animae modificat, & animam in gratiam corporis; seu, quod idem est, quatenus hanc legem stabilivit, ut certis & determinatis habitis mutationibus in corpore, certas ac determinatas excitaret in mente ideas rerum; & vice versa, positis quibusdam volitionibus in anima, certi ac determinati motus ab eo producerentur in corpore. Dicitur systema hoc *causarum occasionalium*, quatenus motiones corporis dant occasionem Deo, ut volitiones, vel nolitiones in mente producat; & appetitiones mentis causa sunt occasionalis, ut Deus ipse motus in corpore causet.

Systema causarum occasionalium mutuum commercium animam inter & corpus minime explicat. Sane is phoenomenon aliquod minime explicare, dicendus est, cur nimirum magnes ferrum trahat, qui adfirmat, id evenire, quod Deus ad magnetis praesentiam motum in ferro causet, aliaque hujusmodi: atqui hoc ipsum faciunt Occasionalistae, dum secretum commercii phoenomenon animam inter & corpus, ita explicant: quia Deus objectorum ideam menti imprimit, quamprimum objecta ipsa sensorium movent

vent, & motum in corpore excitat, statim vult mens ut actio illa peragatur: igitur systemate hocce, commercium animae cum corpore aeque obscurum remanet, ac si nullimode explicetur. Sicuti enim nemo doctior in physicis evadit, dum aeris, aquae, ignis phoenomena hoc modo explicat, quatenus nimirum ita Deus ea causare velit; ita pariter nemo doctior fiet in metaphysicis, dum laudatum commercium per systema causarum occasionalium explicare praesumit. Omnia equidem Dei voluntate in Mundo fiunt, quae fiunt; ast sunt in rebus ipsis propriae causae, ex quarum cognitione solummodo earum effectus explicari debent, si cognosci possunt, sin vero, propria fateatur ignorantia, necessum est.

Atque hinc patet etiam, systema hoc causarum occasionalium sano Philosopho prorsus indignum esse. Quomodo enim indignum sano Philosopho haud erit, naturae phoenomena per Dei causalitatem explicare? quod Occasionalistae praestant, dum commercium animae cum corpore ex divina derivant voluntate: certissima namque res est, commercium hoc haud haberi posse, divina voluntate sublata.

Quinimo intimo sensui systema hoc adversatur pariter. Activam nobis inesse vim, qua mens nostra seipsam excitat, atque ad judicia, ratiocinia, electionem unius prae alio, certo modo se determinat; simulque corpus hoc nostrum ab anima agitari, animari, esse inter utramque substantiam reale commercium, cuique per intimum

sen-

sensum, notum est. Quotquot ergo commercium mentis cum corpore juxta causarum occasionalium systema explicant, doctrinam intimo sensui adversam tradunt. Quod si Adversarii, ut veritatem hanc infirment, adstruant, nullam nos sentire causam, a qua mens nostra agatur, ideoque opinari, mentem agere, dum cogitat; sciant turpiter eos errare, atque falsa loqui, cum vi sua, non aliena mentem nostram moveri dum cogitat, intime sentiamus, & Malebrancius ipse sentiisset, nisi nimio enthusiasmo laborasset.

Tandem nulla libertas in homine esse potest; ideoque nemini peccato imputari possunt actiones moraliter malae, systemate hocce semel admisso. Quae enim libertas quoad corporis actiones haberi potest, si mens plane iners substantia, nullumque in corpus imperium habens statuitur, atque adfirmatur? Sed ne in mente ipsa quidem ulla voluntatis libertas esse potest, si ex occasione motionum corporis tantum, volitiones, & nolitiones omnes in illa producat Deus.

Pariter sicuti libera in rebus percipiendis non existit anima in hoc systemate; ita nec libera dicenda est in appetendo bono vel malo, quod externis objectis inest: ideoque scelera a corpore patrata menti imputari non possunt, cum sit pura causa moralis, sed tantum Deo actiones moraliter malae imputari debent, utpote causa physica. Nec peccata cordis humani, menti adscribi possunt: necessario enim causantur in illa ex occasione motionum corporearum. His habent quod respondeant Malebran-

ciani,

ciani, sed merae subtilitates sunt, quae ut aranearum telae dissipantur extemplo.

III.

Sunt adhuc Philosophorum deliria in explicando mutuo commercio animae cum corpore. Gulielmus Leibnitius insignis Mathematicus & Philosophus, circa finem saeculi elapsi, aliam tentavit viam, ut laudatum phoenomenon explicaret. Sentiens Vir summus, omnes hypotheses a Majoribus excogitatas ad explicandum commercium animae cum corpore maximas involvere difficultates, ad quaestionem hanc pertractandam omni diligentia & sagacitate sese accinxit, qua sanum decebat Philosophum. Et quoniam assuetus erat Leibnitius per mechanicas causas naturae phoenomena explicare, ita venit in mentem, hominum animas totidem *automata* esse, suis singulas corporibus consentaneas: unde harmoniae praestabilitae dogmati viam aperuit. Etenim vidit Vir magnus triplici tantum ratione expediri posse harmoniam operationum binarum substantiarum: aut unam scilicet influendo in alteram, atque id est systema *influxus physici*; aut utramque ab eadem causa externa ad operandum determinari, actione repetita & immediata, idque Malebrancii est systema; aut tandem a causa externa quidem, sed mediis viribus utrique substantiae inditis, & *harmonia praestabilita* consequitur. Quumque autem influxum physicum inter corpoream & incorpoream substantiam repugnare videret;

 deret;

deret; simulque causarum occasionalium systema substantiarum vires tollere, una superfuit Leibnitio harmonia praestabilita ad mentis & corporis unionem explanandam.

Est systema harmoniae praestabilitae per Wolfium, praecipuum ejusdem patronum, & Leibnitio addictissimum, illud, quo commercium animae & corporis per seriem perceptionum, atque appetitionum in anima explicatur, & seriem motuum in corpore, quae per naturam animae, ac corporis harmonicae sunt, atque consentiunt (*a*). Dicitur harmonia praestabilita, quatenus inviolabili lege series perceptionum & appetitionum, quae in mente est, seriei motionum respondeat, quae simul peraguntur in corpore. Mens scilicet humana, quam *spirituale automaton* Wolfius adpellat, independenter ab omni corporea motione ab externis objectis facta, omnes perceptiones & appetitiones in se producit, ita ut hae in anima eodem, quo nunc, modo consequerentur, etiamsi corpus non existeret. Similiter corpus, cui mens unitur, quod *automaton materiale* dicit, machina quaedam est eo artificio a sapientissimo naturae Auctore elaborata, ut independenter ab anima, eos omnes eliciat motus, qui in illo fieri deprehenduntur, eos quoque, qui spontanei nominantur: qui motus eodem modo, quo nunc, con-

(a) *Vid. Wolf. Psych. ration. Veronae edit.* §. 612.

consequerentur adhuc, etiamsi anima non existeret (*a*). Haec igitur duo automata, animam nempe, & corpus, ita simul junxit Deus, ut singuli motus qui mechanice fiunt in corpore, singulis perceptionibus consentiant, appetitionibus, & aversationibus animae, eodem prorsus ordine sese invicem consequentes (motus corporis), quo animae modificationes sese invicem excipiunt. Systema hoc harmoniae praestabilitae sequutus est quoque inter alios Bulfingerus, qui illud illustrare conatus est, atque inter suos disseminare (*b*). Miror quod Siculi, nec non Regni hujus nostri complures philosophica servitute Wolfium, Virum caeteroqui eruditissimum, ubique sonent, ejusque doctrinas veluti antiquitatis oracula venerentur.

Systema harmoniae praestabilitae incertum est, simulque gravissimis rationibus oppugnatur. Siquidem neque a priori, neque a posteriori demonstrari potest, mentem humanam in suarum idearum productione, adeo independentem esse ab omni externo determinante, ut hac in re sit veluti quoddam spirituale automaton. Non quidem a priori, cum humanae mentis natura, ex qua ejusmodi demonstratio sumi debet, nos penitus lateat: si namque nobis perspecta foret mentis nostrae natura, nemo profecto adesset, qui eam

 sub-

(a) *Ibid.* §. 614. 616.
(b) *In harm. praest.* §. 15. 17. 18.

substantiam esse spiritualem denegaret, omniaque ipsius essentialia attributa aequali ratione ab omnibus faterentur Metaphysicis. Sed neque a posteriori idipsum demonstrari potest, mentem nimirum humanam in rerum ideis producendis se habere veluti quoddam spirituale automaton: evidens enim cuique est, nullius prorsus sensibilis objecti ideam excitari in animam, nisi prius certa ac determinata motio in organis sensoriis fiat ab externo objecto, & cerebro communicetur: tanta profecto est inter mentis sensibiles ideas, atque organorum externorum motiones, connexio, ut major esse non possit, ad hoc ut certi simus, atque fateamur, mentem ab illis motionibus physice dependere, ideoque a corpore ipso, in rerum sensibilium ideis producendis. Neque a priori ergo, neque a posteriori demonstrari potest, mentem humanam rerum externarum ideas ita vi sua producere, ut sit veluti quoddam spirituale automaton, atque spectari legitime possit.

Eodem modo probatur quoque, humanum corpus minime esse materiale automaton, quod vi solius mechanismi, sive independenter ab anima omnes suos motus producat. Interna namque humani corporis structura nemini adhuc perfectissime nota adstrui potest: a priori ergo demonstrari nequit, corpus materiale automaton esse: neque a posteriori; etenim si eos motus, qui *voluntarii* dicuntur, consideremus, inveniemus profecto, corpus ipsum in iis absolvendis motionibus, animae subjici imperio, ab eaque, tanquam

quam a suo principio determinante, dependere physice ac realiter.

Systema igitur harmoniae praestabilitae, in quo humana mens spirituale automaton, & corpus humanum vi solius mechanismi motus suos peragere affirmatur, ut mera hypothesis habendum est; secus enim daretur aliquid absque ratione sufficienti, cur nimirum anima & corpus hujuscemodi naturae statuantur. Hoc ipsum fatetur Wolfius ipse (*a*), dum hypothesis loco harmoniae praestabilitae systema habet, atque sumit.

Praeterea si hominis mens ita vi propria, ac independenter a corpore omnes suas perceptiones atque appetitiones producit, ut etiam si nullum corpus existeret, cui mens jungeretur, eas quoque produceret, eccur mens foetus in matris utero existentis nullam claram & distinctam rerum ideam in se producit, neque sua utitur libertate, suorumque operationum conscia existit? cur idipsum etiam evenit in iis, qui alto sopore oppressi reperiuntur? cur surdus a nativitate, atque caecus, nullam soni, atque colorum ideam habet? nulla ergo sufficiens ratio horum habetur, vel haberi potest, Leibnitianorum hypothesi admissa; sive quoties humana mens tale dicatur automa, ut nihil prorsus ei conferat corporis

 stru-

(a) *Psychol. ration.* §. 617.

ſtructura & conſtitutio ad rerum externarum perceptiones & appetitiones producendas.

Perceptionum harum atque appetitionum quae in mente obſervantur, rationem ſufficientem ex corporis mutationibus deſumi debere, docet Wolfius fidus Leibnitii Achates. Sed quomodo verum id eſſe poterit, ſi mens humana in ſuis exercendis functionibus a corpore ipſo independens omnino adſtruitur? Si igitur, Wolfio ipſo docente (*a*) ratio ſufficiens determinatorum in determinationibus contineri debet, ſimulque mens humana omnino independens a corporis mutationibus ſtatuitur, evidentiſſimum jam eſt, hypotheſim harmoniae praeſtabilitae principium rationis ſufficientis funditus evertere, atque deſtruere prorſus.

Inſuper harmoniae hypotheſis plurimum idealiſmo favet. Nam ea hypotheſis idealiſmo favere dicenda eſt, in qua adfirmatur, realem corporum exiſtentiam, ſicuti & Mundi hujus adſpectabilis nulla ratione probari poſſe, ſed tantum credi: atqui in Leibnitianorum hypotheſi nulla adeſſe poteſt ratio, qua convinci poſſint quotquot realem Mundi & corporum exiſtentiam inficiantur. Poſita enim illa independentia mentis a corpore in rerum notionibus producendis, ſenſus, conſcientia, experimenta, rationes, eſſe haud poſſunt argumenta valida Mundi & corporum exiſten-

(a) *Ontol.* §. 116.

ſtentiae, cum id non inſerviat ad corporum exiſtentiam probandam, quod nihil cum corporibus ipſis commune habet, nullamque relationem dicit, cujuſmodi eſt quidquid ad animam, rationem, atque ſenſum pertinet: nulla igitur ratione Mundi hujus, atque corporum exiſtentia probari poteſt, ſecundum harmoniae hypotheſim, quae idcirco ad idealiſmum nos ducere autumanda eſt.

Quid tandem ſi probemus, humanam mentem, harmoniſtarum ſi detur hypotheſis in ſuas perceptiones, ſicuti & in externos corporis motus, quos voluntarios dicimus, ut movere manus, pedes, caput; quieſcere, ambulare; &c. omni libertate deſtitui? Sane ſi humana mens in ſuis perceptionibus producendis a nullo prorſus principio externo revera dependet, notiones rerum, quas mens ipſa ſucceſſive habet, adeo in illa neceſſario excitantur, ut earum productio impediri a nobis nullatenus poſſit. Quomodo enim impediri a nobis poſſunt illae notiones rerum, quas neceſſario in ſeipſa producit mens, nullo externo determinante, ſi ad eas producendas per ſuam eſſentiam determinata adſeritur? neceſſario enim fit, quod per naturam fit: neceſſario igitur eas rerum notiones producit mens, quas modo producit, ſi ab omni externo principio in illis producendis independens exiſtit.

Neque dicas mentem in ſuis perceptionibus a voluntate determinari ad hanc potius, quam ad illam rerum notionem, atque notionum ſeriem producendam. Nam quaerimus: vel nulla eſt no-

tio, ad quam producendam vis perceptiva mentis immediate non determinatur a voluntate; vel quaedam sunt notiones ad quas vis ipsa mentis determinata est per suam naturam; vel quaedam tandem, ad quas immediate a voluntate determinatur. Si primum: surdus ergo, atque caecus a nativitate poterunt peroptime soni, & colorum ideam in se producere, cum id a sola mentis volitione dependeat, & in qua ratio sufficiens hujusce notionum reperiatur; quod falsum esse nemo ignorat. Si secundum: adhuc quaerimus: cur vis perceptiva mentis si quoad aliquas rerum notiones a voluntatis determinatione dependet, minime vero quoad omnes: & vice versa, cur si ad aliquas per suam naturam determinata existit, non sit pariter ad omnes determinata? quae insuper sunt, quaeso, notiones illae rerum, in quibus producendis mens a voluntatis determinatione pendet, & quae illae, ad quas vis perceptiva mentis per suam naturam determinata est? Sunt profecto, ut experientia scimus, aliquae rerum notiones, quae ita in mente excitantur, ut illarum productio nullatenus a nobis impediri possit, cujusmodi sunt notiones illae amoris, odii, volitionis, nolitionis &c.: a voluntate igitur non determinatur mens, ut unam potius, quam alteram rerum notionem producat; proindeque quoad earundem perceptiones liberrima haud foret mens ipsa, quoties harmonistarum hypothesis admitteretur.

Pariter ejusmodi foret mens ipsa, quoad externos corporis motus, quos voluntarios nominamus.

namus. Revera, omnes & singuli corporis nostri motus spontanei, scribere nimirum, sedere, ambulare, qui per saniores Philosophos ab ingenio machinae, & ab animae ipsius actione fiunt utplurimum, in harmonistarum hypothesi a pura machina non cognoscente, neque volente fiunt, cujusmodi est humanum corpus, quod materiale automaton adseritur, atque ab illa peragerentur quoque, etiamsi nulla anima existeret, sicuti in horologio automato conspicitur; sed actiones illae, in quas nullo modo agit anima, sed a sola machina producuntur, voluntariae adstrui nequeunt, cum sint omnimode necessariae: igitur in data harmonistarum hypothesi nedum quoad perceptiones suas libera non existit anima, sed & quoad motiones voluntarias corporis ejusmodi quoque est.

Motus corporis, ajunt harmonistae, qui mentis volitionibus respondent, sunt quidem necessarii, quatenus per ipsius corporis structuram determinati, ast simul liberi dicendi sunt; quatenus Deus qui determinatos motus in corpore stabilivit vi suae praescientiae certissime novit, animam, quae illi copularetur, eos, & non alios esse volituram liberrime. Verum contra res se habet: etenim licet corporis A motus, ad quos per suam structuram determinatum nunc est, ii ipsi sint, quos praevidit Deus, illius animam esse libere volituram, simulque eos, & non alios, mens ipsa modo velit, verum tamen semper est, eos nunc haud ita esse in mentis potestate, ut non essent sequuturi, si mens ipsa eos nollet: fieri

fieri enim nequit; ut dati motus a corpore A non peragantur, ad quos agendos, jam per suam structuram determinatum existit: Neque ipsius anima potest mechanismum ipsum mutare, eique resistere, ne dati motus habeantur; cum anima in harmonistarum hypothesi nullam potestatem in corporis motus habeat; ideoque harmoniae praestabilitae si detur hypothesis; nulla in motus corporis voluntarios nobis inest libertas.

Omitto absurditates omnes, quae ex data harmonistarum hypothesi sequuntur necessario; quod nimirum omnes & singuli motus atque actiones in corpore plane innoxii sunt; atque indifferentes; quod nullo modo caro per peccatum originale infecta, inficere potest animam; quod tandem nihil carnis macerationes, afflictiones, jejunia virtutem juvabunt. Sunt absurditates hae adeo manifestae, ut in harmonistarum confutanda hypothesi, amplius morari, idem sit ac veritatem per se evidentem demonstrare.

CA-

CAPUT V.

DE FACULTATIBUS ANIMAE RATIONALIS: UBI DE INTELLECTU HUMANO AGITUR.

I. Mens humana ingenita sibi vi rerum ideas in se producit. II. Malebrancii argumenta solvuntur. III. Idearum innatarum systema exponitur, falsumque demonstratur.

I.

DE facultatibus, sive potentiis animae rationalis restat agendum. Neminem siquidem latere opinor, maximum lumen iis accedere, quae de animae ipsius spiritualitate, immortalitate, origine, commercio, diximus, per ejusdem facultatum explicationem. Sunt autem animae facultates principaliores, *Intellectus*, *Voluntas*, *Memoria*, de quibus agemus sigillatim.

Quid sit hominis intellectus, quodque ejus objectum, diximus Cap. I. Logicae; ubi etiam de ejusdem operationibus, simplici nimirum perceptione, judicio, ratiocinio, & methodo disseruimus. De idearum origine agamus nunc necesse est, cum variae idearum classes sint inibi a nobis expositae. Heic non loquimur de iis objectorum imaginibus in cerebro impressis, sed de illis notionibus, quae dictas ideas impressas exprimunt

munt, quaeque idcirco vocantur *ideae expressae*, seu ut Scholastici loquuntur, *verbum mentis*. Nullam inesse vim humanis animabus rerum ideas in se producendi, Occasionalistarum, de quibus Cap. praec., opinio est; sed occasione motuum, qui ex sensibilium objectorum appulsu in organis sensoriis excitantur, a Deo menti ipsi communicari. Verum adsertionis hujus falsitas & patet ex superius dictis, & nunc quoque patebit evidentius. Etenim humanam mentem per vim sibi congenitam volitiones, & nolitiones suas *active* producere supra innuimus, & infra probabimus: ergo vi quoque sibi congenita objectorum externorum ideas in se producit. Non enim major vis requiritur ad appetitiones & aversationes producendas, quam ad objectorum ideas, cum tam istae, quam illae quaedam sint mentis ipsius modificationes, ut nemo non videt.

II.

Nicolaus Malebrancius ut evincat, haud inesse hominibus potentiam ideas suas producendi, opponit I. (a) Si hominis mens ideas suas ex impressionibus materialibus produceret, quas cerebrum ab objectis accipit, idem semper efficeret, ac si eas crearet, aut aliquid aeque difficile, imo difficilius efficeret; ideae enim utpote spirituales, non

---

(a) *Lib. 3. Part. II. de inquir. verit. cap. 3.*

non possunt produci ex imaginibus materialibus, quae sunt in cerebro, quaeque nullam cum iis proportionem habent. Deinde sicuti Pictor licet peritissimus nequit repraesentare animal illud, cujus nullam ideam habet; ita homo nullius objecti ideam formare potest, nisi prius illud cognoscat. Quod si jam habeat istius objecti ideam, illud certe cognoscit, ac proinde inutile est, ut sibi novam illius efformet ideam. Frustra igitur tribuitur homini potentia ideas suas producendi.

Resp. ad primum. Allucinatur Malebrancius, dum idearum productionem cum creatione confundit; Est enim una ab altera distinguenda. Productio siquidem idearum nil aliud est, quam modificatio quaedam mentis ipsius, quae ad objectorum praesentiam eorundem sibi ideas cudit, quaeque a mente ipsa, tanquam a subjecto, dependet; creatio vero exigit necessario ut res, quae creari dicitur non solum ex nulla praeexistente sui parte fiat, sed independenter quoque a subjecto inhaesionis producatur: idearum productio ergo non est creatio. Neque implicat ad praesentiam objectorum materialium, posse mentem sibi cudere ideas spirituales: quamdiu namque, experientia teste, mens corpori unitur, corporeis imaginibus rerum opus habet, ut earundem ideas sibi efformet.

Ad secundum dicimus, quod sicuti Pictor ut animal aliquod, puta leonem, pingere possit, opus habet illius praesentia, vel imagine, ad cujus similitudinem leonem pingere valet, & ea sublata, nunquam Pictor leonis efformabit imaginem;

ginem; ita humana mens ad objectorum externorum praesentiam, eorundem in se ideas cudit, quodque efficit etiam cum objectorum imagines per oculos intuetur, sicuti ad praesentiam boni mens ipsa volitionis actum elicit, illudque amore prosequitur: igitur hominis mens indita sibi vi, rerum ideas in se producit, sicuti per vim sibi congenitam volitiones & nolitiones suas active causat.

Ut autem mens humana unius potius, quam alterius rei ideam in se producat, extrinseco indiget determinante; hujusmodi sunt omnia externa objecta, ex quibus & ex potentia mentis omnis in nobis gignitur cognitio. Mens igitur copulata corpori ad rei sensibilis ideam producendam ab objectorum externorum phantasmate determinatur: quomodo vero determinetur ad producendas ideas objectorum, quae nulla corporea imagine queunt exprimi, dicemus infra.

III.

Systema idearum innatarum modo exponemus. Idea innata actualis notio rei dicitur a primo vitae momento menti nostrae a Deo impressa. Idea haec innata non est confundenda cum illa animae facultate, qua ideas suas producit: sumta enim idea innata pro facultate cogitandi, menti ipsi congenita, nemo potest de idearum innatarum existentia vel parum ambigere. Incertum est atque obscurum, quonam sensu Renatus Cartesius ideam innatam sumpserit, num scilicet pro facul-

facultate cogitandi, an vero pro actuali rerum notione mentibus humanis a Deo impressa. Cartesii doctrinam hac in re vacillare prorsus, doctissimus Huetius adfirmat (a). Quod autem Lockii spectat sententiam, in comperto est, ideam innatam, ejusdem judicio, haud esse actualem rerum notionem a Deo mentibus insculptam, sed quandam facilitatem nobis ab illo communicatam, ea principia mente complectendi, vel levissima adhibita attentione, quae nobis dicuntur innata.

Nos duplici via idearum innatarum opinionem refellimus, ratione nimirum, & experientia. Etenim primo, admiratio atque stupor argumentum certissimum sunt novitatis objectorum: si igitur homo ad praesentiam objectorum, quae nunquam vidit, hippopotami nempe, ginettae, hyaenae, &c. admirationis atque stuporis indicia dat, indubium est atque evidentissimum, horum animalium ideas haud esse humanis mentibus innatas, atque congenitas. Hoc ipsum de aliis sensibilibus objectis autumandum, quae nonnisi per admirationem fuere a nobis cognita, ut cuique manifestum.

Neque sensibilium objectorum tantum, quae scilicet nerveas organorum fibrillas movere possunt, & movent, ideae haud nobis dicendae sunt innatae, sed etiam eorum objectorum, quae per cor-

(a) *Censura Phil. Cartes. cap. 3. §. 9.*

corpoream imaginem exprimi nequeunt, ut *Deus*, *anima*, *veritas*, *bonitas*, *justitia*, aliaque id genus: harum namque ideae ex rebus sensibilibus mens nostra derivat, cum res insensibiles nihil habeant, quod mentem determinare valeat ad eorum notionem acquirendam. Deinde nulla res insensibilis, qua talis ad instar objecti menti obversatur immediate: vel nulla ergo istiusmodi res a nobis cognoscitur; vel potest mens objectorum cognitionem in se producere, ullo absque externo objecto determinante; vel ex sensibilium tandem rerum notionibus, insensibilium mens ipsa sibi ideas efformat: atqui falsum est, nos nullam rei insensibilis notionem habere, simulque posse sine objecto determinante ideam aliquam a nobis produci: igitur omnis rei insensibilis notio ex sensibilium cognitione infertur, atque eruitur.

Veniamus nunc ad experientiam, quae ideas innatas omnino tollit. Etenim „ Il Signor
„ Felibien, dell'Accademia delle Iscrizioni fece
„ sapere all'Accademia delle Scienze un avveni-
„ mento singolare, forse inaudito, ch' era acca-
„ duto in Chartres. Un giovane di ventitrè in
„ ventiquattro anni, figliuolo d'un artigiano,
„ sordo e muto di nascita, cominciò tutto ad
„ un tratto a parlare con gran maraviglia di
„ tutta la Città. Si seppe da lui, che tre o
„ quattro mesi prima egli avea sentito il suono
„ delle campane, ed era rimaso sommamente
„ sorpreso a questa nuova ed ignota sensazione;
„ in seguito eragli uscita una specie d'acqua
„ dall' orecchia sinistra, ed aveva poi sentito
„ per-

„ perfettamente da ambedue le orecchie; per lo „ spazio di tre o quattro mesi continuò ad „ ascoltare senza dir nulla, avezzandosi a ripe- „ tere sotto voce le parole, che udiva; ed assicura- „ tosi nella pronuncia, e nelle idee attaccate „ alle parole, finalmente si credette in istato di „ rompere il silenzio, e manifestò che parlava, „ benchè il suo linguaggio fosse tuttavia imperfet- „ to. Fu tantosto da valenti Teologi interroga- „ to sopra il suo stato passato, e le loro prin- „ cipali questioni furono impiegate sopra Dio, „ sopra l'anima, sopra la bontà, o la malizia „ morale delle azioni; sembrò ch' egli non avesse „ innoltrato i suoi pensieri sino a un tale ogget- „ to; quantunque fosse nato da parenti cattolici, „ assistesse alla messa, fosse istruito a fare il „ segno della croce, ed a mettersi in ginocchio „ nella positura di uno che fa orazione. Non „ avea giammai a tutto ciò unita veruna inten- „ zione, nè compresa quella, che gli altri vi „ univano; non aveva una ben distinta cogni- „ zione di ciò che fosse la morte, e non pen- „ sandovi giammai, menava una vita meramente „ animale. Tutto intento agli oggetti sensibili e „ presenti, ed alle poche idee, che per via de- „ gli occhi ricevea, non ricavava neppure dalla „ comparazione di tali idee tutto ciò, che sem- „ bra che avrebbe potuto ricavare. Non debbe „ già dirsi ch' egli non avesse naturalmente del- „ lo spirito, ma lo spirito d' un uomo privo „ del commercio degli altri è sì poco eserci-

„ tato , e sì poco coltivato , ch'egli non pen„ sa se non fino a tanto che vi è indispensa„ bilmente forzato dagli oggetti esteriori ; il „ maggior capitale delle idee degli uomini con„ siste nel loro reciproco commercio „. Relatio haec inserta reperitur in libro Accademiae Parisiensis ad annum 1703., pag. 18., et legi potest tomo *6.* pag. *56.* historiae naturalis de Buffon in italicum sermonem versae Neapoli 1773. Alia omitto exempla, quae idearum innatarum opinionem deridens, atque subsannant.

Ajunt nonnulli, ideas menti infusas confundi totaliter per unionem animae & corporis, ideoque nihil eorum recordamur, quorum ideas habuimus innatas. Cui reponimus, animam substantiam spiritualem non posse subjici dictae mutationi, cujusmodi est idearum omnium amissio, per unionem ejusdem cum corpore. Deinde amicae substantiae, corpori nimirum unitur anima: unde illa idearum confusio penitus fabulosa dicenda est.

Neque tandem ideae primorum principiorum dicendae sunt nobis innatae. Etenim priusquam legerem in Philosophorum libris, vel ab aliis auscultarem principium hoc: *quae sunt eadem uni tertio, eadem sunt inter se* nunquam mihi in mentem venerat, quamvis potuissem media advertentia super partes laudatum principium constituentes, in illius cognitionem pervenire. Nullae ergo ideae sunt nobis innatae.

GA-

CAPUT VI.

DE VOLUNTATE.

I. Voluntatis definitio, atque objectum. II. Bonum, & malum ita sunt voluntatis objectum, ut neque bonum in ratione boni aversari, neque malum in ratione mali velle humana voluntas possit. III. Quid, & quotuplex sit Agens necessarium, & liberum. IV. Est in homine libertas contradictionis, seu exercitii. V. Consequutiones pestiferae Fatalismi. VI. Respondetur Adversariis.

I.

ALteram humanae mentis facultatem, quae voluntas dicitur, nunc expediemus. Per intellectum objecta cognoscimus, per voluntatem vero vel ea appetimus, quae nobis amica sunt, aut talia videntur; vel aversamur, quatenus nobis inimica, ac noxia.

Voluntas itaque ea animae facultas est, qua objecta vel amore prosequimur, vel odio: sic per voluntatem virtutem amamus, vitia autem odio habemus. Velle igitur & nolle duo sunt voluntatis actus, ut patet per se se. Bonum autem & malum sunt voluntatis ejusdem objecta.

Bonum in genere prout hic sumitur, dicitur quidquid humanae naturae consentaneum est, ipsamque perficit. Dividitur bonum in *honestum*, *jucundum*, & *utile*. Primum rectae rationi conforme est; secundum delectationem causat; tertium tandem commoditati inservit, atque ad bonum honestum, & delectabile consequendum ut plurimum ducit. Sic doctrina, seu scientia rerum bonum honestum est, delectabile, & utile.

Bonum insuper vel est *verum*, vel *apparens*. Illud tale est in se, quale nobis esse videtur: istud contra tale non est in se, quale nobis esse videtur. Ita humilitas est verum bonum, utpote perfectiores nos reddit: vindicta vero bonum apparens: licet enim vindicta nobis videatur bona, humanae naturae tamen nocet plurimum.

E converso intelligendum est malum, quod naturae humanae nec consentaneum est, nec ipsam perficit, immo eidem nocet. Malum dividitur quoque in *inhonestum*, *molestum*, atque *incommodum*. Malum inhonestum, seu turpe rectae rationi obsistit, ut luxuria; molestum, dolorem causat, atque tristitiam, ut febres, humani sanguinis effusio, &c.; incommodum tandem desideriorum nostrorum executionem compescit. Horum quodlibet vel realiter bonis nos privat, & malum *verum* nuncupatur, vel videtur tantum nobis posse officere, & dicitur malum *apparens*.

II.

II.

Humanam voluntatem neque bonum in ratione boni aversari, neque malum in ratione mali velle posse; intime conscientia cuique notum est. Enimvero si intimam hominis naturam consulamus, inveniemus, nos ita in bonum tendere, atque aversari malum, ut nihil sub ratione boni se nobis prodat, quin naturali pondere in illud abripiamur; & contra nihil sub ratione mali nobis obversetur, quin naturali quodam impulsu natura ipsa ab illo retrahamur. Quis enim malum sine ulla ratione boni velle, & bonum absque mixtura mali aversari se posse glorietur? Voluntas ergo nostra ita vult bonum, ut aversari illud nequeat sub ratione boni; simulque ita aversatur malum, ut ipsum optare, vel amplecti nequeat, quatenus malum est.

III.

Omne agens vel *necessarium* est, vel *liberum*: Agens necessarium ita effectum suum causat, ut neque illum omittere, neque ei contrarium producere valeat; ejusmodi est lapis in libero aere sibi ipsi relictus, qui nec ascendere, nec haud descendere valet.

Agens necessarium considerari potest ratione determinationis, & oppositionis. Ratione determinationis dividitur agens in necessarium *intrinsece*,

 & ne-

& necessarium *extrinsece*. Illud ipsa sua natura ad unum determinatum est; ut aqua ad madefaciendum. Istud nonnisi ab externa causa ad unum determinatum existit: sic canis fune ligatus necessario stat, sed necessitate externa. Ratione vero oppositionis dividitur agens in necessarium necessitate *contrarietatis*, & necessarium necessitate *contradictionis*, sive exercitii. Primum ad unum contrariorum determinatum est: sic aqua ita ad madefaciendum determinata existit, ut nequeat calorem causare. Secundum ita est determinatum ad operandum, ut nequeat non operari, positis omnibus ad actionem praerequisitis: ita aqua madefacit corpora, quae ejus actioni subjiciuntur.

Agens liberum e contrario adeo natura sua ad opposita indeterminatum est, ut utrumque oppositorum in illius ex aequo sit potestate. Libertas ejusmodi duplex est, *contrarietatis* scilicet, & *contradictionis*, sive *exercitii*. Prior ea dicitur, per quam agens potest actus contrarios producere, ad neutrum per suam naturam determinatum: ita homo dicitur liber libertate contrarietatis, quia contrarios actus elicere potest. Posterior autem est illa, per quam agens, positis omnibus ad agendum praerequisitis, potest agere, & non agere, ita ut tam actio, quam negatio actionis ex aequo in ipsius sit potestate: sic Deus libertate contradictionis mundum hunc visibilem creavit liberrime, quatenus nempe ita mundum creavit, ut illum non creare ex aequo potuerit.

Di-

Distinguuntur insuper in voluntate actus *eliciti*, qui a voluntate ipsa proveniunt immediate, ut velle, nolle, amor &c.; & actus *imperati*, qui ad nutum quidem voluntatis, sed a potentiis ab ea distinctis peraguntur, ut scribere, sedere, ambulare &c.

Omnes actus voluntatis tam eliciti, quam imperati sunt voluntarii, quatenus a voluntate dependent: *voluntarium* hinc dicimus, quod a voluntate ipsa efficitur. Secus intelligendum est *involuntarium*; estque quidquid a voluntate non dependet. Involuntarium tale est vel positive, vel negative. Illud habetur contranitente voluntate, ut cum homo morti traditur ob patrata delicta. Istud id omne dicitur, cui voluntas nec adversatur, nec consentit; ejusmodi sunt motiones, quae in somnambulis, vel dormientibus habentur.

IV.

Esse in homine libertatem contrarietatis clarius est, quam ut demonstratione egeat: sic possum ego id aversari quod nunc amo, & vice versa illud ipsum odio habere, quod heri amore prosequebar. Tota itaque quaestio libertatem contradictionis, sive exercitii spectat, quam in hominibus quoque adesse ita probamus. Per intimam conscientiam atque invictam certus sum, & nullimode ambigere valeo, me liberrime libertate contradictionis operari. Sic dum nego-

tium aliquod magni momenti absolvere volo, primum anceps haereo, atque incertus, ejus emolumentum atque damnum inquiro, & examino; rationes utrinque perpendo, easque cum modis, effectibus, atque utilitatibus meis comparo: si hae illis praeponderant, tum delibero, & negotium absolvo: vel positis omnibus ad agendum praerequisitis, negotium haud absolvo secundum meae libertatis plenitudinem. Quae necessitas, qui mechanismus, quod fatum fingi a sana mente potest in hac mea operandi ratione? Quodnam argumentum evidentius meae libertatis exercitii postulabo? liber sum ergo, nec ambigere possum, simulque intime conscius me posse velle, & non velle; actum ponere, vel non ponere: sentio hanc meam exercitii libertatem, eamque inficiari idem reor ac totius naturae vocem & consensum suffocare.

V.

Fatalismi nunc pestiferas consequutiones exponere opere pretium est. Si non est libertas, omniaque in mundo fato fiunt, actum est jam de rebus tum divinis cum humanis. Primo impetu Religio de medio tollitur fatalismo semel admisso. Quem enim cultum exigere ab hominibus valet Deus, si eorum actiones necessariae omnino sunt, atque determinatae? Quomodo alterius vitae poenas, vel praemia timebit, vel expectabit

bit homo, si quidquid boni, vel mali operatur insuperabili fato operatur? Sintne hominum animae spirituales & immortales, vel potius materiales & mortales, idem omnino erit hominibus, ideoque frustra de animorum disputaretur natura. Humana quoque sus deque vertuntur, fatalismo probato. Virtus jacet orbata meritis, vitium vero nec poenam meretur, nec vituperium: nulla Sapientibus debetur laus, nulla scelestibus culpa: tam virtus enim quam vitia necessitatis ineluctabilis consequutiones sunt.

Si fatali necessitati subjicitur homo nulla lege, nullo praecepto, nulloque peccato adstringitur, cum homicidia, furta, rapinae, proditiones sint ejusdem necessitatis effectus: si ea necessitate operatur homo, fidem amicorum necessario frangit, dum illam violat, subditus Principi ubidientiam negat, dum contra ipsius voluntatem, & praecepta agit: supplicia hinc & praemia subditis data injusta sunt: actum est ergo de Societate, quae his rebus innititur, atque regitur. His omnibus natura ipsa infremit; unde concludendum, libertatem in hominibus adesse, illamque maximum munus a Deo eisdem elargitum, dum homines creando posuit eos in manibus consilii sui, ut ait Scriptura.

VI.

Plures numerantur humanae libertatis osores. Nos omissis Calvinianis, Lutheranis, & Jansenistis

nistis, quorum errores more suo Theologi refellunt, Hobbesium, Collinsium, atque Helvetium auscultabimus, praecipuos fatalismi patronos.

Nihil a se ipso, opponit Hobbesius, principium ducit, sed hoc initium debet illi dari ab agentis alicujus proximi actione, quod sit extra illam: dum ergo homo aliquid vult, quod antea nolebat, hujus volitionis causa non est voluntas, sed a voluntate distinguitur, & minime est in arbitrio voluntatis: ideoque actio voluntatis non est voluntati libera.

Resp. Senile in scholis est argumentum hoc, quod Hobbesius primo loco objicit: illud namque sibi proposuit S. Thomas (a), eique opportunam dedit responsionem. Hinc concedimus, quod id, quod voluntatem primo movet, ut homo aliquid eligat, sit extra voluntatem, ab eaque distinctum: hujusmodi autem Deum esse, pronunciamus, qui cum sit prima rerum omnium Causa, voluntatem movet secundum ejus conditionem; non ut ex necessitate, sed ut indeterminate se habentem ad multa. Deus scilicet dat homini impressionem, sive propensionem ineluctabilem ad bonum in genere, quod nequit non amare; contra vero nullam necessitatem patitur homo ad bona in specie, quae velle, & nolle potest

(a) *Quaest. 6. de malo art. unic. in corp.*

potest, prout magis vel minus fini suo conducere ea existimat, atque putat.

Si autem Hobbesius loquitur de impressione objectorum externorum, quae sensus feriunt, & voluntatem ad assensum trahunt, ita ut necessario, non libere velit, quod vult, reponimus, quod cum bona finita non sint bona secundum omnem aspectum, & respectum, possunt quidem nunc majori, nunc minori impulsu voluntatem movere, atque allicere; eam tamen necessario determinare, & invicte movere, nequaquam valent, cum in singulis finitis bonis eas rationes boni invenire possit humana voluntas, quae fini suo correspondeant.

Collinsius ut humanam tollat libertatem sequenti, inter alias parvi momenti objectiones, utitur paritate. Eo perfectius est, magisque aestimatur horologium, quo cursum suum aequabiliter absolvit; & si nullo modo posset aequabili modo non procedere, tunc perfectissimum haberenius horologium. Similiter quo homines magis sunt ad bonum & malum agendum liberi, eo magis a perfectione removentur. Praeterea posse eligere minus bonum, & meliori praeferre, imperfectionem sapit: ergo libertas tantum abest ut hominem perficiat, ut potius imperfectiorem ipsum facit.

Resp. ad primum. Comparatio horologii cum humana libertate rem praesentem non spectat. Perpendamus namque finem utriusque. Quisnam horologiorum finis est? exacte dimetiri tempus diei & no-

& noctis: illud ergo horologium perfectius dicendum, quod minus a laudata mensura aberrat. Finis vero, quem habuit Deus dum creaturas creavit; fuit ut Deum Creatorem agnoscerent; amarent, colerent; suaque libertate uterentur, simulque quod vellent, eligerent, sive bonum, sive malum, ut inde ob merita; vel demerita comparata debitum acciperent praemium, vel debitam poenam post mortem: Haberentur ne haec omnia; quoties fatali necessitate tamquam horologia automata operarentur homines? minime profecto. Paritas ergo ad rem non pertinet.

Ad secundum. Diximus supra; nullam imperfectionem haberi, ex quo humana voluntas eligat minus bonum, relicto majori bono. Nam hoc minus bonum cum adamussim correspondeat fini humanae voluntatis; profecto absolute bonum est, quatenus habitae intentioni conforme: Sic in mea potestate est eligere centum ducatos, & mille: & quoniam conscius sum centum ducatos sufficere ad providendum meis indigentiis; mille vero superfluos esse, eligo centum, relictis mille: quis dicet; imperfectissime operasti? immo rationaliter & liberrime egi; eligendo illud bonum, quod meo fini consentaneum erat.

Quotquot adfirmant, pergit idem, (*a*) voluntatem duci intellectus judicio, fatalismo favent. Quo-

(a) *Recherc. sur la libertè p.* 343.

Quoties enim homini duae res objiciuntur, quarum una melior videatur altera, ipse nequit eligere pejorem: h. e. nequit eligere malam, quatenus mala est... Insuper nullus actus voluntatis futurus est, quem Deus non praesciverit ab aeterno: sic agnovit Deus ab aeterno me daturum pauperibus eleemosinam; quae divina futuri actus praescientia fuit ab aeterno certissima: sed necessario futurum est, quod Deus futurum novit: ergo liberum mihi haud est, eleemosinam dare, vel non; secus enim falleretur Deus; ideoque nulla est in hominibus contradictionis libertas.

Resp. ad primum. Agere hominem cum consilio a quo dirigitur, cum ratione, a qua determinatur, ideoque ejus voluntatem duci intellectus judicio, nemo sani ingenii denegavit Philosophus: secus enim ageret brutorum instar, veramque libertatem de medio tolleret. Neque ex quo homo ad praesentiam duarum rerum inaequalis imperfectionis, nequeat eligere pejorem, ejus libertas destruitur: hanc enim necessitatem appellabimus quidem; sed non absolutam & metaphysicam, ut Collinsius cum fatalistis dicunt; sed hypotheticam, vel moralem, sive necessitatem *prudentis* dictam in qua electio, ideoque libertas semper reperiuntur.

Ad secundum. Omnia, h. e. praeterita, praesentia, & futura praescivit Deus ab aeterno, cum singula aperta sint oculis ejus, sed praescientia haec humanam haud laedit libertatem: est siquidem praescientia haec consequens tantum, non ante-

antecedens. Ita agnovit Deus ab aeterno me daturum pauperibus eleemosinam in tempore: dum autem hunc actum pono, liberrime illum pono, & praescientia divina voluntatis meae consequitur determinationem: h. e. non efficit ut agam eleemosinam, sed respicit eleemosinam ipsam, quam liberrime in tempore facio. Apposite hinc S. Justinus loquitur (a): *Non est praescientia causa ejus, quod futurum est; sed id quod futurum est, est causa praescientiae. Siquidem non praescientiam consequitur futurum, sed futurum consequitur praescientia*. Vel juxta Augustinum (b): *Sicut tu memoria tua non cogis facta esse, quae praeterierunt; sic Deus praescientia sua non cogit facienda, quae futura sunt*.

Si libertate praediti essemus, objicit Helvetius [c], oporteret, ut aeque bonum, ac malum velle possemus, quod fieri nullo modo potest. Deinde si felicitatis desiderium principium est omnium nostrarum cogitationum, atque operationum; si homines in bonum aut verum, aut apparens perpetuo tendunt: voluntates ergo nostrae nil aliud sunt, nisi hujus impulsus effectus; ideoque nulla in nobis libertas.

Resp. ad primum: Exceptio haec, quam a Col-

(a) *Sive Auct. qq. ad Orthod. q.* 58.
(b) *Lib.* 3. *de lib. arbitr. n.* 11.
(c) *De l'esprit discours* 1. *chap.* V.

Collinſio deſumpſit Helvetius, ſua ſponte evaneſcit. Etenim facultas illa, qua bonum tantum volumus, numquam autem malum, quatenus malum, non eſt libertatis defectus, ſed perfectio naturae, qua nos decoravit ſapientiſſimus Deus; quique bonitatis amor neceſſarius primus fons exiſtit noſtrae electionis, atque libertatis.

Ad ſecundum. Quamvis deſiderium felicitatis principium ſit omnium noſtrarum operationum, & voluntates noſtrae ſint neceſſariae propenſionis in felicitatem; ſunt tamen omnino liberae, utpote quae, licet operando ab amore felicitatis excitentur, inquiſitione tamen, & conſilio reguntur, ut ad ſingulare objectum se convertant. Quibus omnibus Adverſariorum ſolutis momentis, ſartum tectumque remanet, adeſſe in hominibus libertatem, ut ſupra dicebamus.

CA-

CAPUT VII.

DE MEMORIA.

I. *Quid sit memoria, & quomodo habeatur.*
II. *Varia memoriae phoenomena explicantur.*

I.

TAntum ſcit homo, quantum memoria tenet. Parum foret multa legere, auſcultare, animadvertere, quoties illa memoriae committere minime valeremus.

Eſt itaque memoria ea animae facultas, qua independenter ab omni prorſus organorum externorum immutatione, praeteritarum rerum notitiam mens ipſa reproducit. Per memoriam ſcilicet praeteritarum rerum notio reproducitur in anima, quin minime mutatio in organis ſenſoriis habeatur. Quae profecto immutatio ſi habetur, vera ſenſatio eſt, ut antea, non autem memoria.

Non eſt memoria cum reminiſcentia confundenda. Per memoriam eſt mens conſcia rei olim cognitae, cujus notionem reproducit; ſecus vero per reminiſcentiam, quae habetur cum oblivio memoriam interruperit: unde definitur memoriae, quae evanuerit, recuperatio.

Ut

Ut autem memoria haec habeatur in mente, necessum est, ut motio eadem excitetur in cerebro, quae facta in eodem fuit, cum primum mens rem ipsam novit. Siquidem nonnisi per motum mediis sensibus externis cerebro impressum valet mens rerum sensibilium atque incorporearum ideam acquirere: igitur nisi illa eadem motio habeatur in cerebro, earundem rerum notiones reproducere mens ipsa nequibit.

II.

1. Pueri & senes faciliter rerum praeteritarum obliviscuntur; & ratio est, quia puerorum cerebrum utpote humiditate nimia affectum; illud vero senium contra nimius exsiccatum cum sit, impressiones objectorum externorum leviter imprimuntur in cerebro puerorum, sicuti quoque in illo senium, quoties impressio valida haud sit, atque etiam reiterata.

2. Rerum sensibilium notiones facilius in memoriam revocantur, quam insensibilium. Validior namque impressio fit in cerebro per repraesentationem objectorum materialium, quam insensibilium. Sic facilius earum rerum, quas vigilantes vidimus, recordamur, quam somni tempore.

3. Qui citius lectionem discit, citius etiam ejus obliviscitur; contra vero, qui tardius. Cerebri etenim fibrae citius eam impressionem deperdunt, quam citius recipiunt; secus autem quo tardius eandem impressionem recipiunt, eo tardius

dius retinent: hi memoriam marmoream habere dicuntur; primi vero terream, vel aqueam.

4. Memoria exercitio augetur, eoque ablato minuitur. Ex repetitis enim actibus fit habitus, ut habet commune proloquium, qui si desunt, nec tam frequentes sunt, dispositio tantum consequitur. Curandum ergo ut juvenes memoriam exercitio augeant: nam

Gutta cavat lapidem, non bis, sed saepe cadendo.
Quid magis est durius saxo, quid mollius unda?
Dura tamen molli saxa cavantur aqua.

Ovid.

Quod tandem artem augendi memoriam spectat, eam dari Cicero cum aliis Ethnicis adseruit; quinimmo fertur, Julium Camillum eandem calluisse, atque alios etiam docuisse. Ceterum ea securior, atque nobilior meo judicio, adstruenda memoria est, quae studio augetur, atque exercitio perficitur.

Metaphysicae Finis.

INDEX

CAPITUM.

METAPHYSICAE PROLEGOMENA.

METAPHYSICES PARS PRIMA, SIVE ONTOLOGIA

CAPUT I.

De Ente generatim ejusque divisione.

CAPUT II.

De principiis Entis.

CAPUT III.

Quae supersunt causae explicantur.

CAPUT IV.

In quo primum statuitur cognitionis certae principium.

IV.

CAPUT V.

Principium Rationis sufficientis explicatur.

CAPUT VI.

De Proprietatibus Entis.

CAPUT VII.

Identitas & Distinctio Entis.

CAPUT VIII.

Entium possibilitas & existentia.

CAPUT IX.

De Entium Necessitate & Contingentia.

CAPUT X.

In quo de rerum Subſiſtentia diſſeritur.

METAPHYSICES PARS SECUNDA, SEU THEOLOGIA NATURALIS.

CAPUT I.

De Dei Exiſtentia.

CAPUT II.

De veris Atheismi causis.

CAPUT III.

In quo de Materialismo agitur.

CAPUT IV.

Praecipua Dei attributa explicantur.

CAPUT V.

De Pantheismo.

CAPUT VI.

De Dei unitate, eique opposito Polytheismo.

CAPUT VII.

De duobus principiis bono & malo, a Baelio praesertim patrocinatis.

CAPUT VIII.

De Dei libertate in creandis rebus: ubi de earundem conservatione pauca dicuntur.

CA-

CAPUT IX.

De Dei concursu respectu Creaturarum.

CAPUT X.

In quo de Dei Providentia differitur.

AD THEOLOGIAM NATURALEM

APPENDIX:

METAPHYSICES PARS TERTIA, SIVE PSYCOLOGIA.

CAPUT I.

De Anima humana, ejusque spiritualitate.

CAPUT II.

De Animae humanae immortalitate.

CAPUT III.

De Animarum origine, earumque humanis in corporibus immissione.

CAPUT IV.

De mentis humanae cum corpore unione: ubi de mutuo inter utramque substantiam commercio differitur.

CAPUT V.

De facultatibus Animae rationalis: ubi de intellectu humano agitur.

CAPUT VI.

De Voluntate.

CAPUT VII.

De Memoria.

FINIS.

ER-

			ERRATA	CORRIGE.
Pag.	176	v. 5.	ſupernaturale	ſupernaturalem
	179	17.	blaſphemiae	blaſphemias.
	181	14.	Exitum igitur	Exitus igitur
			ſupernarurale	ſupernaturalis
	188	1.	flato	flatu
	192	24.	atomas	atomos
	209	10.	hoc	hunc